
1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

ANTIQUISSIMUS

QUATUOR EVANGELIORUM CANONICORUM

CODEX SANGALLENSIS

GRAECO-LATINUS

INTERLINEARIS

NUNQUAM ADHUC COLLATUS



AD SIMILITUDINEM IPSIUS LIBRI MANU SCRIPTI

ACCURATISSIME DELINEANDUM ET LAPIDIBUS EXPRIMENDUM

CURAVIT

H. C. M. RETTIG.

TURICI

SUMTIBUS FRIDERICI SCHULTHESS

CIↃIↃCCCXXXVI.

SUMME REVERENDO

THEOLOGORUM GISSENSIUM ORDINI

OB COLLATOS IN SE ANTE TRIENNIUM SUMMOS THEOLOGIAE HONORES

AMPLISSIMOS.

QUINDECIM VIRORUM REBUS SCHOLASTICIS APUD TURICENSES REGUNDIS

CONSILIO

OB SUSCEPTAM HUMANISSIME APUD SANGALLENSES RESTITUENDI CODICIS

SPONSIONEM.

LIBERALITER ERUDITO

APUD SANGALLENSES CONSILIO, QUOD CATHOLICORUM RES ADMINISTRAT,

OB NON NEGATAM ORBI LITERARIO VETUSTISSIMI MONUMENTI

EDITIONEM

GRATIAS PUBLICE ACTURUS

HOC OPUS

D. D. D.

H. C. M. RETTIG.

AD LECTOREM.

Hoc defuncti fratris inter ipsa publici muneris negotia morbique molestiam summa cura atque diligentia perfectum monumentum ne sine inscriptione relinqueretur, ut pauca de vita eius atque studiis praefari vellem, amici rogaverunt. Non deero Tibi, dilecte frater, et quod Tu saepissime pro me fecisti, ut sermone atque factis amorem erga me Tuum testificarere, id ego nunc Tibi iam in coelum recepto praestabo.

Henricus Christianus Michaël Rettig a pauperibus quidem, sed honestis parentibus, a. d. III. Kal. Sext. anni MDCCXCIX Gissae natus est. Pro summis parentum in se meritis licuit defuncto usurpare Horatii illud:

> Nam si natura iuberet
> A certis annis aevum remeare peractum
> Atque alios legere ad fastum quoscunque parentes:
> Optaret sibi quisque; meis contentus honestos
> Fascibus et sellis nollem mihi sumere.

Iam mature in parvulo praeclara vis ingenii et indefessum discendi studium emicuit, et factum ita est, ut inter sodales primum plerumque locum in schola obtineret. Sed vixdum decimum quartum aetatis annum egressus, propter egestatem parentum pueris instituendis victum sibi quaerere coactus est. Quum ita senae per singulos dies pluresve horae studiis interirent, industria tamen et lucubrationibus effecit, ut absoluto in Academia, in qua theologiae simul et philologiae operam navaverat, studiorum cursu, publico praeceptoris in Gymnasio Gissensi munere dignus iudicaretur. Tum patre mortuo fere omnis rei domesticae procuratio sane difficilis in fratrem cessit. His tamen curis tam parum a persequenda studiorum ratione prohibitus est, ut mihi in literarum studiis tanquam praecursor fuerit. Nunquam intermittetur a me temporis illius memoria, quo per sex et quod excurrit annos non eodem conclavi solum, sed iisdem etiam scriniis utentes tam concorditer literis vacavimus, ut ne semel quidem hoc tranquillum Musisque dicatum otium vel leviter tantum turbatum esse meminerim. Quantis tum negotiis districtus fuerit dici vix potest. Uno eodemque tempore praeceptoris in Gymnasio Gissensi vices cum summa fide ac religione obire; collaboratoris in Seminario philologico, unde optimus ad philologiam sacram aditus, munere fungi; in Academia Gissensi exegeticas potissimum lectiones habere; ecclesiae etiam Christianae historiam interdum enarrare; domesticis praeterea studiis et libris scribendis intentus esse. Etiamsi theologiae quam vocant rationali tum magis adhuc addictus esset, tanto tamen animi et ingenii ardore docebat, nunquam linguae adhaerescens, raro inspectis quas secum apportaverat schedis, ut multi his se lectionibus ad veram fidem conversos esse fateantur. Ad theologiam quam vocant supernaturalem his potissimum causis permotus se convertisse videtur.

Quanto maiorem theologiae Christianae et novo inprimis foederi explicando operam navaret, tanto magis candidus ipsius animus, in Christi reverentia enutritus, vera esse quae ibi traderentur inveniebat. Huc accessit amici doctrina et ingenii dotibus conspicui iam sex abhinc annos simili morbo abrepti fides et frequentissima de eiusmodi rebus cum eodem sermocinatio, et fratris ipsius parum firma valetudo. Memoria teneo solitum ipsum dicere, nos plane aliter de omni vitae ratione cogitare, si haud procul a morte nos abesse sentiamus. Erunt fortasse qui mortis metu hanc eius persuasionem ita ortam esse suspicentur. Vellem ut hi de morte dicentem, ut morientem videre potuissent. Quum hic esset eius animi status, haec doctrina, haec tanta ingenii acies, profecto non est quod mireris praelectiones eius, apud Turicenses potissimum, tantam vim habuisse in audientes. Ipse de praelectionum suarum eventu securus, Dei tanquam instrumentum se dicebat esse, nec se ipsum agere quidquam, sed agi quodammodo. Aliquando discedens ab amico ad praelectiones de libris sacris habendas „Ire se, inquit, in preces suas."

De scriptis eius scholasticis, philologicis, theologicis, quum in vulgus nota sint, dicere nihil attinet. Id tantum monitum velim, non minorem eum scriptis suis veri amorem et humano generi consulendi studium probavisse, quam vita et diligenter administrato praeceptoris munere. Nam quum „Ecclesiam liberam" scriberet, saepius eum calamum de manu deponere memini, quia probe intelligeret, quantum detrimentum ipsi et suis ex hac scriptione oriturum esset; sed victus veritate in scribendo perrexit. Criticam novi testamenti editionem, evangeliorum exegeticam, quam parabat, quod perficere non potuit, magnopere dolendum est.

Defunctus est trigesimo septimo aetatis anno nondum absoluto, postquam vix tertium annum Turici, si morbo vacasset, felicissimum transegerat. Nam Turicensium erga eum amoris multa et praeclara monumenta extant, praesertim cum ei non multis ante mortem diebus ius civitatis unanimi consensu honorificentissime contulerint. Ipsum adeo morbum tam placide perferebat, ut mecum amantissime, ut solebat, colloquens, hanc ipsam causam esse dixerit, cur ipsius pro Christo testimonium tanto pronioribus auribus animisque exciperetur. Quum pridie ante mortem accepisset instare tempus quod criticum medici vocant, paulisper conturbatus rogavit adstantes consanguineos, ut precibus somnum a Deo sibi expeterent, si somno indulgere posset, vim morbi leniorem fore sperans. Paulo serius rogavit me ut legere ipsi vellem carmen illud solatii et fidei plenissimum: „*Wer nur den lieben Gott lässt walten.*" Quo facto paulisper obdormivit, noctem vero sequentem insomnem transegit. Postero mane tantis pectoris doloribus cruciari se questus est, quantis nunquam antea. Paulo post, sedatis doloribus, per dimidiam horam placidae quieti indulsit. Tum expergefactus et redire dolores dicens rogavit, ut ipsum adiuvare vellemus, quo in latus accumbere posset. Haec postrema eius vox fuit. Nam quum se convertisset statim animam efflavit. Placide quiescas, carissime frater, nobisque ipsis iis rebus quae consolationi esse possunt non sinamus augeri dolorem, imo grata mente recolamus nobiscum earum rerum memoriam, quae Tibi hoc triennio, quo Turici commorabare, satis prospere cesserunt. Quam ardenter optaveras post discessum ex dulcissima patria, ut non tanto spatio disiuncti essemus; quam Tibi ipsi insperanti accidit, quod matrem reliquosque consanguineos semel adhuc adspicere Tibi concessum esset; quam multa Tibi iucunda evenerunt ex amicorum dulcissimorum consuetudine, ex discipulorum et Turicensium amore! Grata etiam mente accipiamus, quod tam facili morte ex huius vitae aerumnis liberatus es, et quod nobis, valetudini Tuae adsidentibus, pietatis et tenerrimi amoris Tui postrema documenta includere mentibus nostris contigit.

Frater.

PROLEGOMENA.

CAP. I.

EDITIONIS CONSILIUM.

---

§. 1.

Quum ante hos tres annos Turici, patria dulcissima relicta, sedem collocavissem, *Io. Casp. Orelli*, collega amicissimus, primis statim diebus ex me quaesivit, quid de codice Sangallensi evangeliorum ego existimarem, cuius ipse variarum lectionum specimen in libro *Ciceronis Orator Brutus Topica* cet. ante biennium fere proposuisset? Ego haerere. Nondum enim in manus venerat ille liber, quod per extremos philologici muneris in patria annos Latina maxime Ciceronem fere non attigeram. Recordabar quidem, in *Scholzii* Novo Testamento codicis Sangallensis mentionem esse factam, at vero tam brevem tamque inanem, ut nec de ingenio nec de fortuna huius libri accuratius iudicari posset. Itaque nihil properantius habui, quam ut ad amici mei epistolam, suavissimam simul et reconditae eruditionis plenam, quam calendis Octobr. a. MDCCCXXX ad Clarum Madvigium dederat, advolarem et quid ibi de codice, quem iam manibus tenes, lector, relatum esset, perquirerem.

§. 2.

Non satis potui mirari, quid esset, quod de hoc libro tam altum adhuc fuisset silentium. Laudabat *Orellius* meus comitatem et humanitatem desideratissimam bibliothecae Sangallensis praefecti; tamen vero *Scholzius* asseverabat, se libri huius collationem non potuisse habere. Itaque consilium cepi, prima occasione oblata experiundi, quid de toto libro fieri posset ac deberet. Sperabam tum quidem, per ferias aestivas a. MDCCCXXXIII otium mihi fore itineris, quod ad bibliothecam Sangallensem eram directurus. Sed, antequam ipsae feriae adessent, gravi morbo deiectus sum, qui per multos menses me ita detinuit, ut vix solita munia obire, nedum novos labores recipere in me possem. Tandem post annum iter illud comparavi. Sed etiam tum valetudo afflicta impedivit, quominus urbem Sancti Galli attingerem. Tamen non quievi. Apud animum meum constitui experiri, annon assequi possem, ut mihi ille liber Turicum mitteretur. Ex multis annis lege apud Sangallenses sancitum est, ne extra aedes bibliothecae ullus codex manuscriptus emittatur, quod plures libri venerandae antiquitatis manu exarati, doctissimo *Gerberto* commodati, incendio olim San Blasiano perierant. Tamen humanissimus bibliothecae Sangallensis praefectus, reverendus *A. Fuchsius* intercessionem suam promisit; preces meas *Orellius*

carissimus adiuvit; *I. I. Hessius*, pagi Tigurini consul, literarum optimarum fautor summopere colendus; *Quindecimviri* denique *rebus scholasticis apud nos regundis*, sponsores prò me intercesserunt graves atque dignissimi: — et ita voti compos sum factus. Ex *decreto eius consilii, quod apud Sangallenses catholicorum res ecclesiasticas administrat, liber expetitus ad me est transmissus.*

§. 3.

Quaestione instituta mox reperi, quod et *Orellius* meus, quem tamen in quam contulit eligenda parte non felicissimum fuisse dolui, librum nostrum ad eos N. T. codices accensendum esse, quibus plerique critici summam auctoritatem tribuunt, et simul, quod nemo adhuc suspicatus fuerat *esse unam partem codicis*, quae celebratissimorum librorum *Vaticani*, *Parisini Ephraemi*, *Stephani H* (*L*) dignitatem fere aequi paret, quum in locis innumeris horum testium lectiones solo nostro confirmentur; esse igitur librum dignissimum, cuius auctoritate N. T. contextus emendetur et stabiliatur.

Sed etiamsi hoc non reperissem, tamen liber iccirco maxime memorabilis mihi esse visus esset, quod inter omnes evangeliorum codices, literis maiusculis exaratos, Cantabrigiensi Kiplingiano excepto solus est, qui versione Latina est instructus, et omnium solus, qui interlineari. Iam autem codices Latini N. T. antiquiores magni aestimari coeperunt, pluris vero Graeco Latini, qui verbum de verbo reddunt. Itaque omnino eruditorum intererat, scire, quae ratio inter antiquam Latinam, Hieronymianam et nostri codicis versionem intercedat. Maxime autem urgebat *Bentleii*, quid diffitear, iudicium.

§. 4.

Quid autem facerem? Variantes lectiones excerperem, antiqua consuetudine, et ederem? Exempla versionis proponerem et examinarem? Ex quo *Michaelis* introductionis suae in N. T. Tom. I. §. 60. ostendit, quam parum utilis sit colligendarum lectionum ratio, quam parum fidei praebeat, plures iique haud contemnendi iudices existimaverunt, *codices ipsos edendos esse*, praevidentes, si via trita amplius insisteretur fore, ut ingentes rerum N. T. criticarum turbae aliquando nascerentur, utque nemo amplius sciret, quid de singulis lectionibus statuendum sit, praesertim si eveniret, quod in multis iam accidit venerandae antiquitatis codicibus, ut casu interirent, vel ut ipsae lineae annis et usu evanescerent. Atque profecto hic metus non est inanis! Quis enim nescit, quot et quantae lites de codicis Alexandrini lectionibus natae sint? Quis nescit, quoties *Iunius*, *Huissius*, *Waltonus*, *Fellius*, *Millius*, *Grabius*, *Wetstenius* in referendis eiusdem codicis lectionibus sibi contradicant? Quibus litibus serius expressione et ne expressione quidem huius codicis finis est impositus, quia in libris qui typis exscribuntur, semper errores typographici remanebunt.

§. 5.

Deinde ipse in codice Vaticano expertus diu eram, quam facile etiam accuratissimum hominem in collationibus obrepat somnus. Namque inter tres *Bentleii*, *Birchii* et *Anonymi* variantes lectiones ita saepe ambiguus haesitavi, ut quomodo emergerem, non reperirem. Accedit quod ad diversissima exemplaria illae collationes instituuntur. Siquis Birchianis collationibus uti velit, in usum

vocet necesse est *Stephanianam tertiam;* si Bentleianis, *Fellii* Oxoniensem a. 1675; si Anonymi Scholziani — nescio quam. Itaque *si quis extricare velit, quid Vaticanus habeat, tres editiones et tres collationes conferat necesse est.* Et tamen haud pauci loci manent, in quibus testimonia sibi contradicunt. Non semel autem observavi, a quibusdam criticis ne curam quidem haberi editionum ad quas collationes sunt adaptatae. Unde haud raro fit, ut plane contrarium eius quod verum est, referant. Si deinde errores vel collationis ipsius, vel lectionis, vel typothetarum adnumeraveris; si reputaveris, quod ante hos quatuor ferme annos docui, *) in Griesbachiano N. T. esse *plus quam octies mille errores*, respectu tantummodo quinque codicum habito; si cogitaveris, a nullo adhuc critico Griesbachium ἀκριβείᾳ esse superatum: haud sane dubitabis *Michaeli* adstipulari.

§. 6.

Itaque facile intellexi, si re vera utilis esse vellem, *integrum librum edendum esse.* Ita enim tantummodo dubitationem de singulis, quam maxime in rebus humanis fieri posse videatur, praecidi. Dum in eo eram, ut librum praepararem, et typis describendum traderem — labor arduus atque molestiarum plenus; alia via quam praeoptassem, non patebat; quot enim descriptio in aere vel in lapidibus emtores reperisset? — dum igitur librum typis describendum vulgaribus, in modum *Knittelii*, praeparabam, accidit, ut redemtor libri honestissimus prela lithographica sibi pararet simulque artem transferendi (*die Kunst des Ueberdruckes*) scripta in lapides addisceret. Statim igitur consilium prius abieci. Pictorem nactus sum calligraphum, *qui in charta pellucida, super codicem expansa, singulas literas, singulas lineolas, singulos literarum apices accuratissime perscribebat.* Prelo lithographico pictura ex charta in lapides transferebatur et multiplicabatur. Ita codicis Sangallensis imago saepissime et accuratissime repetita est, *ita quidem ut nulla alia via nullaque alia arte accuratior apparari queat.* Qui enim calamo omnes lineas ante ipsius oculos positas sequi debet, errores magnos admittere omnino *non potest.* Si vero vulgari vel arte lithographica vel incisione in aeneis tabulis libri repetuntur, errores aeque facile ac in typographia admittuntur. Primum enim totum opus, eodem ut in nostro transferendi modo, in charta pellucida perscribendum est, deinde *aversa de charta* vel in aere vel in lapide inscribendum, ita quidem ut singulae literae et singulae lineae perversae pingantur. Quis autem non intelligat, hac *conversa scriptura* vitia multa admittantur, necesse esse? **)

§. 7.

Quare possum spondere, nullum adhuc antiquitatis librum tam perfecte et absolute repetitum esse, quam nostrum. Nam quum singulas paginas bis terve accuratissime perlustrarem, ut, si qui essent, errores emendarem; per omnes ferme 400 paginas vix sex vel octo locos reperi, in quibus ita peccatum esset, ut vel in Θ lineola transversa, vel simile minutum aliquod deesset.

---

*) Cf. censuram meam N. T. *Lachmanniani* in: Theoll. Studien u. Kritt. Iahrg. 1832. 4. Heft. pag. 887. Anmerk. a.

**) Plurimorum codicum imagines interim cum autographis conferre mihi contigit. Vix autem possum dicere quam parum imagines autographa repraesentent.

§. 8.

Est autem haec nostra editio tam parvo pretio parabilis, *ut minori non prostaret, si totum opus typis exscriptum esset.* Quodsi reputaveris, quanta pecunia collatio simplex constitisset, quotiesque repetenda fuisset, usque dum perfecta fieret vel plane inutilis, quodsi cogitaveris librum nostrum a nullo adhuc in usum vocatum esse, facile concedes, aptiorem edendi modum haud potuisse excogitari. Neque omnino vereor, ne mihi ab aliquo rerum criticarum amatori ista editio opprobrio unquam vertatur.

§. 9.

Haec de consilio quod secutus sum in universum dicta sint. At vero etiam alia singulari ratione ductus sum, quum hunc laborem mihi sumerem. Animadvertisse enim mihi videor, inter nostrae aetatis theologos esse criticam sacram eam disciplinam, in qua minimo cum successu elaboretur. Praeivit quidem *Lachmannus* viam, qua, emendata tamen, si alii insistere vellent, ad finem aliquem laborum pervenire posse videremur. At vero haec via molesta est. Nam, ut taceam labores qui subeundi sunt in examinandis lectionibus, plerisque theologis ne pecunia quidem tanta est, ut auxilia critica sibi comparare possint. Inde factum est, ut longe plurimi etiamnum in via trita pergant; inde accidit, ut quotidie in ephemeridibus criticis rationibus pugnare videamus doctos, quae apud philologos diu sunt explosae. Namque longe plurimi ne unum quidem codicem manu exaratum manibus contrectarunt, oculis inspexerunt, multo autem minus arti criticae studuerunt. Quare notissimae res ridiculo modo pervertuntur.

§. 10.

Bene intellexi, ab hac theologorum aetate nihil sperandum esse. Quomodo enim, qui in salebris huius generationis criticis incanuit, ad adolescentiam revertatur et multorum lustrorum magnos errores dediscat? Ad Vos igitur me converto, dulces iuvenes, qui nondum pravis opinionibus estis imbuti; a Vobis, exspecto, ut aliquando rei criticae succurratur. Quare Vobis in manus trado librum, parvo venalem, cuius multiplici usu familiaritatem quandam cum re veterum libraria contrahere possitis. Atque spero quidem, ingenuos huius aevi eruditos hoc exemplum esse secuturos, ita quidem ut post paucos annos pretiosissimorum antiquitatis codicum in vestris manibus, vividae quasi imagines versentur.

§. 11.

Quodsi mihi contigerit esse tam felici, ut huius voti compos fiam, iam etiam N. T. editionem potero sperare, in qua re vera fides Christiana potest fundari. Sic enim tantummodo fieri poterit, ut multi veritatem apparatus critici possint examinare; sic fieri poterit, ut lexigraphia, ut Grammatica Novi Testamenti fundamentum nanciscatur, quo superstrui possit; sic fiet tandem etiam, ut aditus ad LXX versionem paretur, cuius contextus errorum et vitiorum silva horret. Quodsi autem reputaveritis, qua ratione fides Protestantium et litera bibliorum contineantur: iam dignum vobis opus videbitur, in quo elaboretis.

Caeterum nostri libri fortuna luculento exemplo docet, quanta iniuria et simul incuria antiquitatis monumenta tractentur, et quam non sit utile viam sequi, qua *Scholzius* in itinere suo literario est ingressus, nimirum aliquot sectiones examinandi, et deinde de toto ingenio libri iudicium ferendi. Tamen nullum certum vestigium in *Scholzii* scriptis deprehendi, quod ostenderet, eum vel re vera Sancti Galli fuisse, vel nostrum librum vidisse.

CAP. II.

EXTERNA LIBRI FACIES.

§. 12.

De compactura libri dicere nil attinet. Tantum enim abest, ut primaeva sit, ut potius recens condita ante non multa decennia videatur. Altitudo foliorum novem digitorum est, latitudo septem cum quadrante. Omnia folia aequaliter circumsecta sunt, et extrinsecus rubro colore adspersa. Antequam librum aperis, iam accurate duas eius partes externa specie distinguere potes, praesertim si inferiorem oram intueri velis. Namque quum reliqui totius libri margo ea parte qua accisus est *punctulis rubri coloris* adspersus sit, folia octo priora penicillo *lineis rubris* notata. Ipse adeo color rubicundus adspectu aliquantum ab eo differt, quo maior libri pars extrinsecus imbuta est. Itaque patet, octo illa folia libro nostro adsociata eo tempore non fuisse quo denuo compactus est. Quod et aliis rationibus evincitur.

§. 13.

Librum enim ipsum evolventi tibi statim initio quaternio in oculos incurrit absolutus, qui illam libri partem complectitur, cuius marginem a reliquo facile discerni posse modo animadverti. Sed et tactu distinguitur; (nam huius quaternionis membranae multo sunt tenuiores, quam eorum omnium qui sequuntur) et ipso membranarum colore subflavo. Si numeros in summa ora marginis exterioris collocatos respicis, mirabere, quod pag. prima quidem numerum primum at vero pagina sexta decima numerum duodevicesimum exhibet. Nam quum quatuor tantummodo chartae ita sibi invicem insertae sint, ut primae sint folium primum et octavum, secundae secundum et septimum, tertiae tertium et sextum, quartae quartum et quintum: defectus omnino esse nequit. Quum autem paginarum numeri per totum codicem rubrica ante non adeo multa lustra notata sint, et, si *ordinem numerorum* spectes, pagina 3 et 4 desint, necesse est statuatur, eum hominem qui istos numeros rubrica adiecerit, errasse. Itaque *Orellii* mei descriptio emendanda est. Nam *nullum omnino folium evulsum est.* Cf. etiam quae de falso credita hac codicis lacuna ad carminis Hilariani versum sexagesimum adnotavi.

Quodsi primi huius quaternionis singula folia perscrutare, cave, ne fallaris. Namque si externam faciem primi folii contemplatus fueris, facile deduceris ad opinionem, hoc ad reliqua huius qua-

ternionis folia omnino non pertinere: adeo adspectu primo ab illorum habitu recedit. Perforatum est et luridum omnino; tetra eius facies et sicca, reliquis pinguedine ut ita dicam nitentibus. Tamen sine omni dubitatione ad eundem quaternionem ab initio pertinuit, cui hodie adhaeret, nam eiusdem chartae pergamenae altera pars efficit folium octavum = pag. 17 et 18 codicis, si numeros paginarum respicis; paginam 15 et 16 si verum numerum ineas. At vero ipsum folium octavum, quod cum folio primo eandem chartam efficit, nitidissima est, et nulli reliquarum paginarum quaternionis primi splendore cedit.

§. 14.

Tertium reperisse mihi videor externum, quod docet, primum codicis quaternionem aliunde accessisse. Nam ea in pagina quae iam undevicesima numeratur in margine sinistro numerum primi quaternionis facile deteges, si codicem ipsum inspicere voles. Sed pallidissimo atramento hic numerus scriptus est, ita ut pictori meo calligrapho omittendi auctor fuerim. Quod eo magis doleo, quum iam mihi persuasum sit, hanc notam serius scriptam esse, quam ipsum codicem. Quare etiam reliquorum quaternionum numeros a tertio inde a scriptore meo repetendos curavi. Sine dubio statim cum codice ipso Graeci quaternionum numeri sunt perscripti. Primum conspicis in summo textus litore dextro paginae undevicesimae (*Α*); secundum pag. 33 (*Β*) tertium pag. 49. (*Γ*) et sic porro.

§. 15.

In quarta quam modo afferam causa per se quidem spectata non confido. Atramenti est color, a reliqui libri colore diversus. Nam non dubitandum est, multos eorum qui codices tractaverunt, atramenti colore vario se falli esse passos. Vide quae de hac re infra monui.

Quinta vero causa maximi momenti est. Si enim quod manibus tenes simulacrum codicis Sangallensis evolveris, et characterem Latinorum paginae quintae cum charactere paginae undevicesimae comparaveris, statim multum diversos esse reperies. Quum autem per se pateat, ea quae in pagina prima et secunda, quinta, sexta, septima et quinta decima interlineas et in margine, septima et octava decima in inferiore ora, octava tota legantur, serius quam reliqua huius quaternionis scripta esse: tantummodo restat, ut quaeratur, in quam aetatem primi quaternionis textus incidat. Primo statim obtutu quisque harum rerum peritior literarum maiuscularum ductus paginae 5. 6. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. agnoscit, et videt neque ad serius quam decimum saeculum neque ad prius aliquod posse referri. *) Item autem quae Scotice scripta in paginis 1. 2. 5. (fronte) 6. 7. 8. 18. — ita enim *Haenelii* catalogus quod ad primum quaternionem attinet, et *Scholzius* (N. T. P. II.) emendandi — leguntur, ad inferius quam decimum saeculum referri non possunt. Quum autem demonstrari possit, nono ipsum librum saeculo exaratum esse, iam inde patere existimo, praefixum quaternionem antiquitate a nostro superari.

---

*) Cf. Amicissimi *Orellii* indicem lectionum Turicensium a. 1835 editum, cui *M. Tullii Ciceronis* in P. Vatinium interrogationem praemisit, et codicum Turicensium et Einsiedlensium specimina adtexuit; etiam *Graff: Krist* von Ottfrid. praef. pag. XV. ex specim. Frisingensi.

§. 16.

Inde non colligitur, quo tempore cum nostro ille primus quaternio sit ita copulatus ut nunc est. Quae quidem quaestio difficillima est. Tamen hoc in aprico est, factum demum esse tempore, quo librorum compactores accisos margines coloribus ornare iam consueverunt. Utrum enim statuas, ante copulationem cum nostro quaternionem primum puro margine fuisse, an ita ut nunc est variegato, tamen patet, margines non *simul* esse pictos, quia non essent diversicolores. Mihi autem non innotuit quando ista margines coloribus ornandi consuetudo invaluerit.

His perpensis, statuendum videtur, quaternionem primum Hieronymianae versionis olim partem fuisse, et aliquo recenti saeculo ideo nostro praefixum esse, quia canones et capitula in marginibus eius exstabant. Factum hoc sit necesse est, non eo tempore, quo codex noster ea compactura involutus est, quo nunc gaudet. Nam ita ut nunc munitus est, maculas non admisisset, quibus est deformatus. Quarum quidem aliqua pars ex ultimo folio primi quaternionis, in primam paginam codicis Graeco-Latini transfluxit.

§. 17.

Sed et alia via patet. Esse enim potest, ut primus quaternio iam diu cum nostro copulatus, involucro pereunte avelleretur et semotim iaceret. Quod ut credam eo facilius commoveor, quod etiam reliqui codicis diversas partes diu sine involucro disiectas fuisse haud levibus ex indiciis colligo. Quum autem iam novam vestem noster induisset, repertus est, et libro cuius praecursor diu fuerat, iterum praefixus. Tamen et hoc fieri debuit ante illam compacturam, qua liber nunc gaudet. Haec enim sine dubio uno tempore absoluta est. Ceterum antiquae compacturae vestigia adhuc conspiciuntur.

§. 18.

Non sine causa in hac expositione accuratus fui. In exquirenda enim libri aetate multum refert, utrum ad primum quaternionem respicere nobis liceat, necne. Quum autem hoc certum esse videatur, primum quaternionem non simul cum codice nostro exaratum esse; tutissimum mihi esse videtur, si in definienda codicis aetate a primo quaternione respiciendo plane abstineamus.

§. 19.

Iam autem in describenda externa codicis facie pergam, quatenus ea similitudine quam propono non cognoscitur.

Membranae codicis sunt crassiores, ita ut facile, libro aperto, convolvantur, at vero neutiquam aequales. Multa folia pulvere et luto contaminata, multa fragosa attritaque. Inprimis de primis et extremis quaternionum singulorum foliis hoc valet. Quod omnino fieri non potuisset, nisi per aliquod tempus singulae libri partes discissae iacuissent. Id nostro libro cum omnibus in charta pergamena scriptis commune est, quod duas nitidas paginas duae rigidiores sequuntur, quippe ea pars pellis, quae carni adhaeserat, nunquam tantam nanciscitur teneritatem, quantam exterior. Inde factum est, ut ob maiorem scribendi difficultatem librarii in rigidis istis paginis pauciores

lineas ponerent, et maiores literas scriberent, ut celerius ad teneras paginas reverterentur. Quare et in iis libri partibus quae sine dubio ab eodem librario exaratae sunt, versuum numerus variat. Quae minorem numerum versuum quam sedecim et maiorem quam triginta duorum exhiberet paginam in nostro libro non reperi. Tamen vix credo aliquem alium librum inventum iri, qui versuum numerum adeo variet.

§. 20.

Per totum librum lineae vel stylo vel colore subviridi ductae conspiciuntur, quas imagine nostra exprimere non licuit. Primum circino librarius quadratum emensus est, et lineis paginas quatenus quidem literis implendae essent, circumscripsit. Deinde singularum linearum spatia disposuit, et folii cuiusque alteram paginam lineis divisit. In altera pagina folii idem opus repetere necessarium non est visum, si stylo lineae ductae essent, quia prioris paginae dilucide conspiciebantur. Lineas librarii non ita secuti sunt, ut vel inferior vel superior cuiusque literae pars lineam suam tangeret, sed in universum ita tantum, ut ne spatium, quod inter duas lineas esset, nimis excederetur. Quare saepissime factum est, ut media pars primae literae versus in linea quiescat, at vero capita extremarum literarum superiorem lineam attingant vel adeo excedant. Canone ad imaginem nostram adhibito facile animadvertitur, quam parum singuli versus ad eum exacti sint.

§. 21.

De atramenti colore hoc dici in universum potest, esse eius summam per totum librum varietatem. Modo enim atrior est, modo flavescit, modo ad fuscum accedit. Idem in longe plurimis codicibus antiquissimis animadvertitur. Sed tum maxime in oculos cadit, quum eo atramento, quod per singula folia, affusa vel aqua vel alio humore, sensim sensimque expalluit, in prioribus foliis, atro colore scriptis, quaedam vel emendantur vel adduntur. *) Saepe factum esse videtur, ut *ab alia manu* emendata viri docti proclamarent, quae alio tantum colore picta sint. Item cavendum est, ne quis falli se patiatur, quum sensim sensimque ad nigritiem color ascendit. Nam recens paratum atramentum indies crescit. Porro haud raro fit, ut in literarum singulis ductibus iisque tenuioribus atramentum flavescat, in crassioribus vero nigritiem servet, plane ita, ut novum colorem supra inductum esse in crassis lineis credere possis. Quare accuratissime in ea loca inquirendum est, quae atramento denuo inducto renovata esse videntur. Atque re vera in nostro libro aliqui loci exstant, quae renovata esse dubitari nequit. Infra eos significavi. In iis autem locis de quibus monui *serius pallido atramento*, hoc unum certum esse puto, non scripta esse eo tempore, quo reliquae eiusdem paginae literae. Neutiquam hoc significo, ab alio etiam librario haec adiecta esse, nisi expressis verbis additum est, *alia manu*. Namque ipsum adiectum *recenti calamo vel penna* non statuit librarium recentem.

---

*) Memorabile huius rei exemplum pag. 48. quod vide.

§. 22.

Literarum ipsarum tam altitudo quam latitudo mirum in modum variat. Normam vel regulam ad quam istam variationem exigere possem, non inveni. Evolvas exempli, quod in manibus habes, paginas trigesimam et trigesimam primam et componas cum paginis octogesima sexta et sequentibus, si rem tibi, ut est, cupis informare cogitatione.

§. 23.

In quavis fere linea unam pluresve literas conspicis duplo reliquis maiores. Hae coloribus sunt ornatae flavo, rubro, violaceo, viridi. A pagina inde quadragesima nona color viridis, quantum equidem observavi, non redit, nisi in Lucae tabula generationis. In Marco etiam violaceus deest, qui in Luca deinde et Ioanne denuo conspicitur. Praeterea omnes sectionum inscriptiones, altioribus eaedem literis conspicuae, coloribus insigniuntur, ut et numerales literae Graecae quae indicibus quatuor evangeliorum pag. 19. 20. 21. 131. 132. 191. 192. 193. 316. praefixae sunt, itemque literae initiales capitulorum. Praeter consuetudinem est, quod nonnunquam observatur, vox minio mero exarata. In primo quaternione pag. 5. verba initii BEATO PAPAE DAMASO HIERONIMUS minio picta. Pag. 7. verba: *In canone* 1. *concordant quattuor, in secundo tres, in tertio tres cet. in decimo P.* — Praeterea literae initiales nominum evangelistarum. Pag. 15. tota prima linea minio, ut et extrema. Pag. 16. item prima linea. Caeterum per totum librum in ipso ordine versuum semel tantum vocem plenam minio pictam observare me memini, (pag. 33, 15.) *προςευχη*. Minio mero etiam scripta sunt verba *κατα Ματϑαιον, κατα Μαρκον, κατα Λουκαν, κατα Ιωαννην*, quae, exceptis paucissimis Marci foliis quae iis plane carent, et paucis Matthaei, in quibus ab alia manu, atramento addita sunt, in fronte paginae cuiusvis conspicis, semel pag. 20. 21. adiecta versione latina, atramento scripta. Etiam quaternionum literae numerales Graecae coloribus ornatae. Sed minio scripti latini canonum Eusebianorum numeri I, II, III, IV. V, VI, VII, VIII, IX, X. In marginibus sectionibus Ammonianis subiiciuntur, ut canon ad quem respiciendum sit, minio notatus, facilius distinguatur. Praeterea loci quidam singulares, quaedam singularia ostendunt. Ita in tabulis generationis largior colorum usus, tam in Matthaeo quam in Luca. In recensione apostolorum apud Marcum literae coloribus fere suffocantur insuperque lineae coloris flavi nominibus subiiciuntur. Sed haec sufficiant. Hoc unum addere libet, colores ipsos tam inepte saepe, tamque densissimo rustice penicillo impositos esse, ut fere puerorum opus videatur. Tamen colores firmiter haerent, quasi inusti, ut mirari hoc satis non possim. Rarissime coloris aliqua pars decidit.

§. 24.

Numeri, quos in fronte cuiusque paginae conspicis, arabici accurate respondent ei paginarum computationi, quae in ipso codice ad extremas oras rubrica facta est. Ab ea haud secedendum esse existimavi, ut comparaturo facillimus aditus pateret, et ne, si qui ipsum codicem in usum vocare velint, duplex numerandi ratio ineunda esset. Tamen non possum non monere, codicis ipsius computationem aperte falsam esse. De pagina 3. et 4. hoc iam supra docui. Adiici idem debet de paginis 311. seqq. Namque ibi a pagina 311 ad 313 transitur. Sed inter has paginas defectus esse

nequit, quia pagina 313 paginae 311 aversa est. Porro a pagina 313 ad paginam 316 transilitur. Quamquam nec ibi quidquam deest. Restat ut de fine libri dicam. Post enim extremum quaternionem, qui ad paginam 387 extenditur, semiquaternio adiectus est, in cuius ultima pagina evangelium Ioannis finitur, pag. 395. Nisi omnia me fallunt, carmen in hac pagina perscriptum longius non extendebatur quam hic est. Sententia enim eius plene clausa est. Tamen rubrica pagina sequens chartacea numero 400 notatur, et sic porro usque ad pag. 406. Sed nil est in omnibus istis paginis scriptum, ut iam pronuntiare audeam, plenum perfectumque nos in manibus codicem habere. Quae contra dici possunt de reliquiis foliorum exsectorum, haec alio aptiore loco expendentur.

§. 25.

In summa pagina quinta ad marginem dextrum haec signa reperiuntur: M. n. 25.
48.

Repetere ea nolui, quod bibliothecae tantum usibus inserviebant. Formae literarum valde recentes sunt, et vix alterum elapsum saeculum excedunt. Numerus 48. minio pictus est, sed recenti; reliquae literae numerique recenti atramento. Quid vero est, quod ista signa non in primo totius libri folio posita sunt? Haud cunctanter respondeo: in primo folio spatium non exstabat. Namque carminis Hilariani versus usque ad extremum fere marginem porriguntur.

§. 26.

Ad externa etiam scriptionem refero, de qua tamen paucissima tantum habeo, quae moneam, quia quantum fieri potuit, in libro quem manibus tenes, sum imitatus. Nihil dico de scribendi compendiis in contextu vel Graeco vel Latino obviis, nam prioris inprimis rara sunt, et omnium antiquissimorum librorum communia; nihil dico de eo, quod in Graecis litera literam sine coniunctione sequitur; nihil de punctis, quibus librarius vocabula dirimere conatus est, quod saepe parum feliciter processit; nihil de lineolis quibus latina instructa sunt; nihil de defectu accentuum et spirituum. Sed effugere oculi tui aciem facile posset, quaedam accentuum et spirituum indicia initio Marci reperiri. Quod eo magis notandum est, quum Marci evangelium antiquitate reliqua nostri libri praecellere videatur — unde colligitur, omnem librum tempore scriptum esse, quo accentus et spiritus iam poni inceperant — etiam ea de causa, quod accentus fere ubique falso loco positi sint, et inprimis, ubi encliticae praecedentibus fulciuntur. (*ὁμαλισμός.*) — Alterum quod moniturus sum, in usum *Scholzii* adiicio, qui in hoc codice vestigia stichorum deprehendisse sibi videtur. Sunt enim, ait, v. g. Matth. I, 18. puncta post *γενεσις*, *ην*, *της*, *μαριας*, *τω*, etc. Error plane ridiculus, in quem quomodo incidere potuerit vir in rebus criticis per tot annos versatus, vix comprehendo. Nam ut de eo taceam, quod etiam post *χριστου*, post *η*, post *μητρος* puncta sunt, quae *Scholzius* prudenter omisit, plane ignorare videtur omnem tam rationem quam usum antiquiorum stichorum. *) Quis enim unquam stichum sibi excogitavit, qui una voce *τω*

*) *Montfaucon.* palaeogr. Graec. fol. 28. „Graecis mos erat antiquitus per *στίχους* seu versiculos orationis partes distinguere: *στίχος* autem non integram periodum designabat, sed eam partem, etsi perquam minimam, *ubi iam aliquis sensus, licet imperfectus et inchoatus, videbatur esse.*“

(articulo) constaret? Regulam hanc noster in universum in punctis collocandis secutus est, ut minora vocabula *maxime* curaret, *deinde* omnia ea, in quibus haerere is posse videretur, qui nondum bene Graece sciret. *) Est pars libri, per quam post quodvis vocabulum punctum est.

§. 27.

Tamen et ego stichorum indicia reperisse mihi videor. Maiores sunt literae. Plures interdum stichos maxima litera complectitur, sive, ut antiquo nomine sententiam meam exprimam, per *κῶλα* et *κόμματα* tota scriptio procedit. Cf. *Montfaucon*, loc. cit. fol. 50. seqq. unde vulgaris de stichis opinio emendanda est. Exemplum hoc esto:

pag. 22. *Ταυτα δε αυτου ενθυμηθεντος*
Ιδου αγγελος κυριου κατοναρ εφανη αυτω λεγων
Ιωσηφ υιος δαυειδ
Μη φοβηθης παραλαβειν μαριαμ την γυναικα σου
Το γαρ εν αυτη γεννηθεν εκ πνευματος εστιν αγιου
Τεξεται δε υιον
Και καλεσεις το ονομα αυτου Ιησουν
Αυτος γαρ σωσει τον λαον αυτου απο των αμαρτιων αυτων
Τουτο δε ολον γεγονεν
Ινα πληρωθη το ρηθεν υπο κυριου
Δια του προφητου λεγοντος
Ιδου η παρθενος εν γαστρι εξει και τεξεται υιον
Και καλεσουσιν το ονομα αυτου εμμανουηλ
Ο εστιν μεθερμηνευομενον μεθημων ο θεος κ. τ. λ.

Si operae pretium habueris, Cantabrigiensem evolvere Kiplingianum, consensum haud spernendum reperies. Caeterum haud constanter stichi ita per totum librum insigniti sunt. Interdum, quod modo ipse dispositione proposita significavi, a maiori ad minorem literam manus aberravit. Ita etiam in hac re cum Boerneriano noster componendus.

§. 28.

De libri quaternionibus haec notanda. Primi quaternionis primum folium excisum est. Duo indicia sunt. Nam et folii reliquiae inter paginam 18 et 19 hodie conspiciuntur, et totus quaternio septem tantum folia, pag. 19 usque ad pag. 32 inclus. complectitur. Tamen nihil deesse videtur scripti. Namque quaternionis signum in pag. 19. (α) conspicis, quod sine dubio simul cum reliquo textu perscriptum est. Quare folium exsectum tutelae libri destinatum et album relictum fuisse existimo. Exsecari potuit, quum iam novus quaternio praefixus esset. Secundus, tertius, quartus quaterniones perfecti sunt. Quintus quaternio, pag. 81. incipiens, septem tantum foliis constat, ultimo, inter pag. 94. et 95., exciso. De qua re alio loco plura dicentur. Tamen in textu, licet ultima pagina non plane literis repleta sit, nihil deest. Sextus recte habet. Septimus non est

*) *Woide* in praefatione ad cod. Alex. §. 30. „Voces quidem sine ullo discrimine coniungit, sed interdum tamen finem vocum praecipue monosyllabarum — — notulis quibusdam solet indigitare."

quaternio, sed quinio, quum quinque chartis pergamenis, decem foliis et viginti paginis constet, et a pag. 111. usque 130. incl. porrigatur. Ultima pagina vacua est literis. Quaternio octavus bene habet. At numerus quaternionis, si ex atramento et charactere τοῦ *H* colligere licet, serius additus. Hoc idem de quaternione nono, decimo, undecimo valet, qui omnes ad Marcum pertinent. Undecimi quaternionis paginae 191. 192. 193. alia manu alioque atramento. Quaternio duodecimus recte habet. Tamen eo loco, ubi iam quaternionis numerus Graecus apparet, prius aliud fuisse videtur. Namque rasura est. Huius quaternionis pagina extrema et sequentis pagina prima solae in medio libro colore viridi fulgent. Saepius in libris manu exaratis hoc observasse mihi videor, ut librarii, si partes inaequales copulandae essent librorum, vel novo atramento inducto, vel colore adhibito, externam speciem iuxta se positarum paginarum emendarent, et similitudinem quandam efficerent. Quaternio tertius decimus, quartus decimus, quintus decimus pleni sunt. In ultimo quaternionis numerus Graecus rasura deest. Sextus decimus quaternio Graece *IZ* insignitur, quum *IS* esse debeat. Ita *per totum reliquum librum* numeri Graeci confunduntur; Graeca tres et viginti quaterniones numerant, Latina recte in duobus et viginti subsistunt. Quaterniones omnes reliqui octo foliis constant, Latino XXI excepto, qui, ultimo folio exsecato, septem tantummodo habet. Folii exsecati reliquiae conspicuae. Tamen nihil deest, et pag. 356 verba accuratissime praecedenti paginae tam quod ad sententiam, quam quod ad literas cohaerent. Quare folium ob nimiam tenuitatem et fragilitatem remotum esse crediderim. Nam folium parallelum ita iudicandi viam nobis commonstrat. Post quaternionem vicesimum secundum, semiquaternio sine numero ad perficiendum evangelium Ioannis additum est.

§. 29.

Vix possum effari, quantum doleam, quod de Scotica libri nostri scriptura non valeo accuratius dicere. Non enim mihi contigit, adhibito indefesso quaeritandi studio, ut *Iacobi Andersoni* syntagma diplomaticum, quo Scotiae palaeographiam illustravit, opus a *Meermanno*, *Eberto* aliisque celebratum, alicubi investigarem et in meos usus converterem. Interim autem praetuli, de omni hac re tacere, quam ineptias effutire.

§. 30.

Similitudini codicis Sangallensis, quam accuratissime archetypo respondere voluimus, aliena addere iisque imaginem deformare non sustinuimus. Quare ea, quae vel dubitationem lectorum movere viderentur, vel quae ex imagine disci non possent, ad calcem libri adiecimus. Erit fortasse, qui nimium in hac re fuisse me existimet; erit etiam, qui de aliis etiam, quae non tetigi, moneri cupiat. Fieri non potest, ut in hisce omnibus placeamus. Tamen nimio quam contrario peccare malui.

§. 31.

Unum ipse editioni codicis addidi, quod in codice ipso non est. Adiecti sunt versus Stephaniani, adiecta etiam capita usitata. Necessarium hoc omnino videbatur, ut liber habilior usui fieret.

Quivis enim scit, quanto labore in Cantabrigiensi, quam non multo minori etiam in Alexandrino singula loca evolvantur. Quod si in capitum et versuum numeris bis terve peccatum esse a lithographo animadverteris, inde de emendata textus conditione ne iudices. Namque longe aliud est, per chartas pellucidas pingere, longe aliud, libera manu aliqua addere. Tamen et hoc fugissem, nisi lithographi diligentiae initio rem tradidissem, et nisi aliquoties in aliorum lithographorum manus a redemtore meo traditum esset officium, capitum et versuum numeros addendi.

CAP. III.

CODEX PLURIUM SCRIBARUM OPUS.

§. 32.

Quum externam libri nostri faciem describeremus, unum eius quaternionem tanquam primitus a libro alienum insignivimus. Iam ad reliqua accedendum est. Nemo eorum, qui codicem adhuc contrectarunt, vel levissimam variorum scribarum suspicionem movit. Inde intelligitur, si plures scribae statuendi sint, hoc non ipso primo intuitu detegi, sed altiore demum indagine reperiri. Itaque accuratam huius rei disquisitionem nobis iniunximus.

§. 33.

Si librum percurris, nec formae literarum, nec atramento intentus, tamen pag. 94. lin. 14. haeres. Namque in media hac linea librarius substitit. Tamen paginae sequentis verba accuratissime ad pag. 94. verba extrema adaptata sunt. Itaque quum, quae intacta relicta est paginae pars, nullo vitio laboret, dilucide patet, paginam 95. scriptam iam fuisse, quum librarius ad pag. 94. verba *τον χωνωπα* perveniret. Nulla enim causa excogitari potest, ob quam alteram paginae 94. partem vacuam reliquerit, si in libro nostro perficiendo pergere vellet. Accedit, quod quaternionis quinti folium octavum excisum est, quod tam numero paginarum — nam initium huius quaternionis pag. 81. est — quam clarissime folii ipsius reliquiis, quae inter pag. 94 et 95 conspiciuntur, probatur. Quid de hac re iudicandum? Casuine an consilio tribuamus?

§. 34.

Mihi quidem ita videtur: In scholis monasticis scribendi ars scholaribus interioribus, h. e. iis, qui habitu monastico utebantur, quod provecta aetate inter *monachos recipi cupiebant ab uno magistro tradebatur.* Cuius instituti innumera exempla in annalibus inveniuntur. Inde factum est, ut pueri *monastici* manu simillima uterentur; (nunquam enim alios literarum ductus viderant, quam quos *magister praeiverat*) inde factum est, ut per tota saecula unius loci scribae literarum

formis vix a se invicem distinguantur. Quum porro difficillimum esset, et longissimum opus, tota N. T. biblia transscribere, plures laborem ita partiebantur, ut alii alias libri describendi partes delibarent. Quod etiam in nostro libro factum esse statuo.

§. 35.

Sed et aliae rationes haud desunt. Quamquam enim literarum character simillimus est, tamen accuratius intuenti discrimen haud exiguum intercedere videbitur. Margines angustiores esse incipiunt, versus paucissimi in singulis paginis perscripti sunt, spatia amplissima inter lineas deprehenduntur, literae singulae maiori diligentia exaratae, quod initio operis fieri solet. At vero etiam in singularum literarum formis quaedam variantur. Praecipue literae *Alpha* forma initialis respicienda est. Usque enim ad hanc paginam lineis rectis in angulum coeuntibus perscriptum comparebat. Iam pag. 95. curvari lineae incipiunt. Similiter *et* variat, ita tamen ut scriptor sibi non plane constet. *T* initiale rigidius adhuc pictum; literae omnes initiales maiores.

§. 36.

Etiam notarum marginalium ratio habenda est. Litera C. quum in paginis sexaginta novem exstet, in paginis nonaginta quatuor prioribus Matthaei quinquies reperitur, in reliquo Matthaeo ne vestigium quidem. Litera *Γ* marginalis in 94 prioribus Matthaei paginis ne semel quidem detegitur. Haec omnia casu non possunt accidisse. Quare paginarum nonaginta quatuor priorum scriba ab eo distinguendus est, qui paginam nonagesimam quintam exorsus est. Esse potest, ut etiam has paginas duo librarii ita inter se diviserint, ut pag. 41. alter alterum exceperit. Sed huius rei non tam certa indicia mihi ad manus sunt, ut asseverare audeam. Hoc unum addam, colores literis ad pingendi rationem ab hac inde pagina variari, literas rudiores evadere per sequentes paginas, nonnullas ad dextrum latus magis inclinare, etiam minori cura verba textus ipsa scripta esse, et literam C. in toto Matthaeo in solis paginis 41. 46. 47. 78. 92. reperiri.

§. 37.

Tertia libri pars paginas 95 usque ad 129 complectitur. Nullum omnino indicium reperi, vel unam textus literam his paginis ab alia manu additam esse.

§. 38.

Quarta pars a pag. 131. initium sumit. Haec facillime a praecedentibus omnibus discernitur. Statim Latina quaternionis nota numeralis variat. Adhuc enim *quinque* V non U significabatur. Quod tamen scribendi errore potest explicari. Deinde prima huius quaternionis pagina sordidam faciem ostendit, ut fere exterior libri singularis, quae facile atteritur et pulvere contaminatur, fuisse videatur. Tum autem colores variantur. Flavo adhuc in Matthaei altera parte librarius nitido usus fuerat et vivido quodammodo. In eius locum luridus color succedit, qui flavus videri vult, et per totum Marcum ita retinetur, ut in ipsa subscriptione pag. 191. eius vestigia exstent, licet qui Lucam affinxit, quasi *μεσίτην*, suum colorem nitidum singulis subscriptionis literis illeverit. Porro per totum Marcum duobus tantum coloribus literae initiales sunt variegatae, flavo et rubicundo. In

Matthaeo tertius accesserat vel viridis, vel violaceus, qui posterior et in Luca et Ioanne redit. Nec qui nomine etiam adspectu iidem sunt colores. In Marco enim ruber color ad fuscum fere accedit. Postremo forma etiam quae dicitur quadrata, non quidem chartae at vero scriptionis mutatur. Ista enim forma quadrata per aequale chartae spatium in altitudinem extenditur, in latitudine vero a mensura Matthaei toto dimidio digito abest.

§. 39.

Literarum singularum formas in universum reliquarum textus partium formis simillimas esse reperimus. Sunt enim eiusdem scholae filii. Tamen autem et harum haud exigua diversitas. Nam in Matthaeo pleniores et crassiores, in Marco usque ad pag. 174. graciliores; in Matthaeo ad dextram in Marco ad sinistram propensiores. Sed a pag. 174. etiam in Marco ad dextram propendent. Porro singulae literae singulari habitu apud Marcum insigniuntur. Alpha initiale ab utraque forma recedit, quam in Matthaeo observavimus. Alpha minus pleniore in Marco ventre gaudet, rotundius est. Literae quaedam in Marco longiores sunt quam latiores. Accentus et spiritus, quorum in toto Matthaeo unicum vestigium, in Marci initio saepius conspiciuntur. Tamen et in Marco mox apparere desinunt. In adnotationibus ad singulas lineas plura reperies significata. Cf. pag. 132. col. 1. lin. 6. pag. 133. lin. 2. et 7. 10. 15. pag. 134. init. pag. 135. init. pag. 136. extr. pag. 143. lin. 7. ss.

§. 40.

Restat ut singularia quaedam moneantur. Inter ea primum in oculos incurrit, quod fere nullum in Marco vocabulum cuius finis non sit puncto munitus. Hoc per tria alia evangelia non redit. Deinde etiam hoc facile observatur, quod quaternionum numeri tam Graeci quam Romani serius additi sunt, quod atramenti color docet. Minus facile reperitur, quod litera C. nusquam in toto Marco exstat, et statim altera pagina Lucae legitur, pag. 196. Minus facile observatur, quod compendium scribendi ps in toto Marco non exstat. *Γ* contra in solo Marco plus quam quadragies legitur, in toto reliquo libro circiter decies. *T* in solo Marco paginis viginti duabus, in singulis pluries, reperitur, octies tantummodo in Matthaeo, quinquies in Luca et Ioanne. Signum *χ* inserto *ϱ* nusquam in Marco est.

§. 41.

Non quidem meum est hoc loco criticum agere. At vero si te non fuerit pertaesum contextam orationem ipsam inspicere, et cum editionibus criticis tam Matthaei quam Marci aliqua capita conferre, magnum te discrimen non latebit, quod inter criticum Matthaei et Marci habitum intercedit. Si enim repereris in Matthaeo nostrum per singulas paginas semel bisve cum Vaticano 1209. convenire, in Marco sexies, decies vel pluries adeo ad eundem et L qui insigniri solet, accedere videbis; in iis autem sectionibus, quae post paginam 174 leguntur, saepissime.

§. 42.

His omnibus rite expensis adducor, ut credam, evangelium Marci quod iam nostro codici insertum est, aut separatim per duos librarios scriptum esse, ut singulare volumen efficeret, aut

simul cum reliquis nostri codicis scribis duos etiam in Marco occupatos fuisse, ita tamen, ut alter alterum verbo λυσαται pag. 174. exciperet. Qui priorem Marci partem exaravit, homo diligens fuit et accuratus; qui posteriorem, homo levis, festinante calamo. Tamen uterque ex iisdem fontibus hauserunt, ita ut uni sensim sensimque se plane fere addicerent. Hoc maxime de eo valet, qui posteriorem Marci partem absolvit.

§. 43.

Ita quartam quintamque libri nostri partem accurate distinximus. Iam de Luca et Ioanne videamus.

Quorum in priore nullum vestigium indagavi, quod nos iudicare cogeret, in plures partes librum dispescendum esse. Hoc unum mihi interdum visus sum observare, unius vel duarum paginarum scripturam a Lucani librarii consuetudine ad Marciani tenorem deflectere. Non autem ita esse spondeo. Tamen si etiam alii mecum consentirent, quorum in istis rebus iudicium valet, plane non mirarer. Scimus enim episcopos interdum calligraphos abbatesque, qui delibandi pingendique literas artem diu abiecerant, interdum ad opus derelictum rediisse, ut quasi honorem significarent, quem libro alicui tribuebant, et singulas literas paginasque exarasse et coloribus ornasse. Exempla, quum multa in promtu sint, afferre supersedeo. Quidni igitur credamus, magistrum scholae interdum ad discipulorum opera descendisse, et singulas paginas praeivisse. Illis temporibus, quae omnibus auxiliis carebant, quibus hodie scribendi ars promovetur, necessarium adeo fuisse hoc videtur.

§. 44.

De Ioanne idem valet, quod de Luca. Sunt adeo literarum formae in utroque tam sibi similes, ut utrumque librum eiusdem librarii opus declarare haud dubitem. Quae enim variationes reperiuntur, ita sunt comparatae, ut eundem scribam per plures paginas hac, per alias alia literarum quarundam forma usum esse dici possit, prout consuetudine subitanea ducebatur.

CAP. IV.

CODICUM SANGALLENSIS ET BOERNERIANI COGNATIO.

§. 45.

Quum *Matthaeius* ante novem lustra Boernerianum codicem typis exscriptum in lucem publicam prodire iuberet, calci eius haeece verba adiecit: *Ad tria millia codicum Graecorum in variis regionibus tractavi; nullum tamen huic similem.* Equidem re conversa iam exclamari posse

credo: *Inter omnes, quotquot iam tractati sunt codices, duo non reperiuntur, qui tantam sibi invicem similitudinem repraesentent, adeo se fratres gemellos monstrent, quam Boernerianus et Sangallensis.*

§. 46.

Namque *Ludolphus Kusterus* *) Boernerianum ita describit: „codex est membranaceus in 4. — — **) Scriptus est literis Graecis maiusculis, non quidem vetustissimis illis, quae vulgo unciales et quadratae appellantur, sed paulo rotundioribus et minoribus, nusquam sibi invicem illigatis sed solutis et separatis, quod antiquitatis est signum. Caret idem accentibus et spiritibus eiusque scriptura non est continua, sed pleraeque voces intervallo aliquo a se invicem discretae sunt, quod arguit quidem esse paulo inferioris aetatis, quam antiquissimos illos codices in quibus nulla est vocum distinctio; sed tamen aliae vetustatis notae, quas praefert, satis ostendunt, eum octingentorum annorum aetatem excedere. — — ***)

§. 47.

Librarium autem nactus est valde imperitum et oscitantem, quippe qui non solum textum Graecum pessime interdum distinxit, positis nimirum punctis et literis grandioribus, tamquam ad novae periodi initium, in media saepe sententia, ubi nulla omnino distinctio vel interpunctio locum habet; sed etiam non raro literam initialem vocis sequentis annexuit ei, quae praecedit, et contra literam postremam vocis praecedentis retulit ad initium sequentis. †)

§. 48.

Praeterea vocales et diphthongos *ε* et *αι*, itemque *η*, *ι*, et *ει* ubique fere supina negligentia permiscet; sed quae vitiosa scribendi consuetudo illi cum omnibus fere veteribus librariis passim communis est. Ad huius generis vitia, quae nimirum usu apud priscos illos librarios invaluerunt etiam refero *λῆμψις* pro *λῆψις*; *λήμψομαι* pro *λήψομαι* et alia huius generis.

§. 49.

Sed satis de textu Graeco codicis Boerneriani. Ei ab eadem manu addita est versio Latina interlinearis, veteris Italicae ††) et apud Latinos vulgo receptae procul dubio propago, ex cuius scriptura, in qua literas quasdam Anglo-Saxonicas mihi visus sum observare, †††) colligo, codicem

*) Cf. praefation. ad N. T. edit. Amstelod. 1710.

**) Verbis hic omissis indicem earum epistolarum, quae in Boerneriano contentae sunt, praebet.

***) Verbis hic neglectis contextus Boerneriani cum codicibus Claromontano et Sangermanensi comparatur, quod in evangeliis fieri nequivit, quia isti codices evangelia non continent.

†) Exempla huius rei ex epistolis proferuntur. Quae omisi.

††) Non satis accurate locutus est *Kusterus*. Nam Boerneriani versio Latina eiusdem plane indolis est, qua Sangallensis.

†††) Scoticos ductus innuit.

illum in Britannia scriptum esse. Haec versio interdum duplicem textus Graeci interpretationem exhibet, *) eadem interdum a Graeco discrepat. **) Illa autem audacia minime ferenda est, qua librarius Graeca interdum ad Latina correxit, vel potius corrupit: veluti Phil. 1, 27. ubi legitur *αξιως τω ευαγγελιω*, manifesto soloecismo; quod non nisi ab imperitia librarii proficisci potuit, qui Graeca refingere voluit ad Latina. »

§. 50.

Hoffmannus ***) ita: Ex bibliotheca *Petri Franci*, Profess. Amstelod. magno pretio emit codicem satis antiquum Magnificus atque Summe Venerabilis D. *Chr. Frid. Boernerus*, Theologus Lipsiensis primarius, vir per omnem literatum orbem celeberrimus, laudatissimus, Patronus meus summopere colendus. Pretiosam bibliothecam, rarissimis rebus instructam, optimoque ordine dispositam possidet vir summus, eamque codice antiquo, quem nunc describam, egregie ornavit. Codex est membranaceus, forma quarta maiori, continens tredecim epistolas S. Pauli, epistola enim ad Hebraeos data in eo desideratur. Scriptus est literis maiusculis, sed paullum rotundis: caret accentibus et spiritibus, voces autem pleraeque intervallo aliquo separatae sunt, absque distinctionum notis, nisi quod hinc inde *μεση ϛιγμη* observetur, quae tamen nuspiam *κωλα*, sed voces et verba distinguit. Unde annos octingentos circiter prae se ferre videtur. Congruit fere ubique cum Claromontano et Sangermanensi, habetque versionem Latinam interlinearem, quae textui Graeco exactissime respondet, ita quidem, ut singulis verbis Graecis voces Latinae convenientes superscriptae sint.

§. 51.

Matthaeius denique ita loquitur: « Longitudo et latitudo foliorum quatenus scripta sunt, cognoscitur ex duobus speciminibus, quae aere expressa sunt. †) Materia codicis membranae sunt (!) non illae candidissimae ac tenuissimae, quas in multis codicibus Graecis admiratus sum, sed crassae et lutulentae. Nullus hic ornatus Graecus apparet. Colores etiam, quibus literae maiores sunt adumbratae, similes sunt eis, qui a Norimbergensibus in cistellis ad usum puerorum tribus, ni fallor, quatuorve grossis venduntur. — — ††) Folia alius ante me numeraverat, numerosque in principio foliorum ad dextram partem notaverat. Hos numeros igitur retinui. Sed folio primo — legitur — —, †††) nescio, utrum ab eiusdem scribae, qui epistolas scripsit, an ab alius manu. Literae Latinae maiores certe sunt quam in ipso libro. Alia etiam penna usus est, multum crassiori.

---

*) Exempla addere necessarium non duxi.

**) Etiam huius rei exempla vide l. c.

***) Cf. *Pritii* introductionem in N. T. ed. *Hoffmann*. Lips. 1737. pag. 388.

†) Equidem nostri et Boerneriani altitudinem et latitudinem pluribus foliis contuli (nostri 267. 268. 269. 270. cum Boern. fol. 86.) et accurate convenire reperi.

††) Tamen tenaciores sunt colores. Omissa involucrum spectant. Quod in nostro recens est.

†††) Omisi: *interpretatio evangelii Matthaei*. Pro quo ponere potuissem: *carmen Hilarii* rel.

Sed in marginibus tamen eiusmodi literae occurrunt, cuiusmodi in marginibus contextus. Etiam numeri similes — — *) Habet aliquam similitudinem cum psalterio quod *Montefalconius* in palaeographia notat pag. 237. quodque saeculo nono scriptum existimat.

§. 52.

Scribam non fuisse Graecum, quilibet harum rerum peritus animadvertit. Literae *γ. δ. η. ϑ. μ. ν. σ. ς. ȣ.* et ex maiusculis *E. Λ. M. N. Σ. Ω.* nunquam hac forma occurrunt, sed ita ut in speciminibus expressa sunt. Literae non aequali spatio inter se distant, sed vocabula plerumque separata sunt, interpositis frequenter punctis. Sed divisio et coniunctio vocabulorum saepe est inepta. Accentus et spiritus non habet, **) sed lineas arcus et puncta in superiore literarum parte. — — ***) Literae *υ* et *ι* saepe habent duo puncta in superiori parte. ****) In Graeco facile confunduntur *λλ.* †) cum *μ.*, *μ.* cum *ν.*, item *α. δ.* et *λ.* facile permutantur. In Latino occurrit interdum Graecum *υ* loco y. ††) Facile confunduntur r. *υ* †††) et s, item n. et h. Litera R, sed minori forma, est interdum pro r. — ††††)

§. 53.

Totidem Kusterus, Hoffmannus, Matthaeius aliique ita ut modo retuli Boernerianum describunt, *totidem verbis simul nostrum descripserunt.* Nisi igitur in altero libro evangelia in altero epistolae Paulinae exstarent et nostri ambitus ferme duplex esset, sola descriptionis ratione habita facile ambo libri confunderentur.

§. 54.

Sed etiam in multis singulis et singularibus conveniunt mirabili ratione. Pauca tangam, similitudinem universam scripturae, quae ex comparatione nostri cum speciminibus Boerneriani apud Matthaeium primo obtutu detegitur, lectorum diligentiae relinquens.

Singula illa ac fere singularia in quibus Boernerianus et Sangallensis conveniunt ad plures classes revocari possunt.

---

*) Omissa interpretationem evangelii Matthaei, de qua modo dictum est, ipsam exhibent.

**) Vide quae de initio Marci in cap. de externa libri facie agente exposuimus.

***) Hic pauca verba omisi, partim quod exempla a Matthaeio allata mea facere non potui, — namque in Graecis equidem super solo iota interdum lineolam reperi —, partim quod ipsius verba non bene intellexi.

****) Super litera *υ* saepissime equidem in Sangallensi unum nusquam duo puncta observavi. Duo saepe iota imponuntur.

†) Huius quidem confusionis adhuc in nostro exemplum apertum non reperi, quamquam loca observavi, in quibus utrum *λλ* an *μ* legendum sit, facile aliquis haereat.

††) In nostro Latinum y plane non exstat. Eius loco vel i vel *υ* in usum vocatur.

†††) Ita lego. Nam vix Matthaeio fidem habuerim, in Boerneriano Latinum y exstare.

††††) Inprimis in posteriore libri Sang. parte hoc saepius redit.

§. 55.

I. Latinae versionis verbis notae grammaticae inseruntur. Ita in Sangallensi *infinitivus* (pag. 103, lin. 5.) *non in infinitivo* (pag. 292, 4.) vel *infinit.* 209, 9. *nominativus* (pag. 325, 4.) *dativus* (pag. 83, lin. 9. 26, lin. 18. 200, lin. 9. 208, 4.) *ablativus* (pag. 257. lin. 1.) *participium* (pag. 22, lin. 4. pag. 54, lin. 3. pag. 105, 13. marg.) *adverbium* (pag. 281, 9.) *deponens.* pag. 208. 15. et similia *) saepissime recurrunt. Quod Boernerianus imitatur haud uno in loco. *Participium* additum est fol. 7, pag. 1. lin. 4. ab inferiore ora. fol. 93. pag. 2. lin. 6. *articulus* fol. 95. pag. 1. lin. 13. *nominativus* fol. 93, pag. 2. lin. 4. *infinitivus* fol. 8. pag. 2. lin. 6. ab inferiore ora. fol. 89. lin. 8. *praesens* fol. 7, pag. 1. lin. 10. **) et ita haud pauca alia. Sed dimittere hunc locum non possum quin Matthaeium emendem. Is enim pag. 113. adnotationes quasdam a recentiore manu in libri compactura scriptas referens, compendium fol. 95. pag. 2. v. 1. *adv.* huc trahit, quod illo quidem loco sine dubitatione *adversus* explicandum est, quod et ipse glossator recte monuit. Deinde idem *Matthaeius* ad fol. 5. pag. 2. lin. ult. adnotavit, se nescire, quid ibi post ἐπὶ lectum *aposi* sit. *Apodosin* significat.

§. 56.

II. *Siglae et notae marginales multae utrique communes.* Signum ⊙ in Sangallensi pag. 192. col. 2. lin. 13. 193. col. 1. lin. 5. pag. 364. bis. in Boerneriano fol. 25. verso. fol. 88. init.; signa ·|· et ÷ toties in utroque occurrunt ut exempla addere supervacaneum existimem. — *Αγ. Αγα. Αγαν. Αγανον.* in Boerneriano. fol. 22. recto. fol. 26. verso. fol. 65. fol. 93. fol. 96. et innumeris ferme aliis locis, quos accuratius indicatos reperis in Cap. de notis codicis Sangallensis marginalibus. In Sangallensi idem exstare vides pag. 35. 38. 50. 58. 104. 254. aliisque. — p͂s in Boerneriani fol. 55. 88 verso. 95. in Sangallensi pag. 24. 56. 73. 105. cet. — Compendia *Γϱ.* eƀ. Boerner. fol. 57 verso, 67. verso, 77 verso. Sangallens. pag. 124. — *μᾶϱ* Boerner. fol. 30, 39. 43 verso, 44 verso, 45. 48 verso, 64. 77. 89; Sangall. pag. 35. 59. 62. 158. 256. cet. *γοδδισκαλκος* Boern. fol. 22 verso, fol. 4. vers. fol. 87. fol. 88. verso. fol. 90. verso. fol. 93. Sangall. pag. 263. 367. — X. in Boerner. fere centies in Sangall. item saepissime occurrit. — Xƀ in Boerner. initio et fol. 78. verso; semel in fronte Sangallensis. — *do* Boerner. fol. 18. recto, lin. 4. in Sangall. pag. 117. — *duƀ. Boerner.* fol. 8. verso, fol. 85. verso (bis) occurrit; in Sangall. pag. 233. 263. 313. 382. 388. — *deest* variis abbreviaturis in Boerneriano fol. 3 verso. fol. 6. verso. 10. verso. 20. verso. 23. verso. 62. verso. 77. 84. 92 vers. 93. in Sangallensi pag. 124. 144. 150. 159. 220. 348. 375. 390. — De singulis literis c. q. e. l. z. γ. cet. ne dicam quidem.

§. 57.

III. In eo etiam Boernerianus et Sangallensis conveniunt, quod uterque textus argumenta ipsa ad marginem indicant; cf. *Sangall.* pag. 8. 18. 123. 188. 245. 306. 327. *Boerner.* fol. 26.

---

*) V. C. pag. 24, 10. ad *ceciderunt* additum est *a cado.*

**) Corrige tamen *Matthaeium* qui ibi adiectum *en* etiam ad praesens traxit. lege: *vel praesens pro vim lege en.*

37 verso. 38. verso. 54 verso. 60. 62. 65. vers. 66 vers. 83. vers. 84. 87. verso 88. 96 verso. et verba singula orationis sacrae vel ad radices reducta vel nuda vel paulum mutata repetunt. Sangallensis hae paginae exempla sunto: 23. 104. 119. 131. 171. 174. 195. 196. 197. 215. 258. 263. 268. 270. 278. 283. 284. 294. 306. 309. 324. 370. 383. Boerneriani haec folia evolvas: fol. 6. verso. 24. verso. 25. verso. 33. verso. 38. 38 verso. 40. 43. 44. 46. 48. bis. 48 verso. 49. 49 verso. 50. 51. verso. 54. 61. 62 verso. 63. 63 vers. 66. 67. 67 vers. 68 vers. 69. 70. *) 71. 80. 81. 81 verso. 84. vers. 86. 86 vers. 87. **) 89. 90 vers. 91. 92 vers. 93. 94. 94 vers. 95. 95 verso. 97. 98.

§. 58.

IV. Maxime autem mirabile mihi visum est, quod etiam in versionis quibusdam ne dicam vitiis, tamen locis parum perfectis consentiunt. Inter haec praecipue retulerim, quod eadem verba nec in Boerneriano nec in Sangallensi translata sunt. Hoc accidit in voce *ὑπάρχων* in Boerneriano fol. 70. in Sangall. pag. 273, 12. Boernerianus *ἀποϱούμενοι* vertit *aporiamur* fol. 44. lin. 9. Sangall. hoc repetit. pag. 294. et 370. Cf. *Dufresne* sub voc. in multis aliis Boerneriani locis hoc iudicari nequit. Namque quantum mihi quidem singula licuit examinare, saepissime *Matthaeius* non significavit, quid ubique alia manu vel alia saltem penna alioque atramento additum sit.

§. 59.

V. Denique vera vitia tam singularia in utroque libro offenduntur, ut vix ex diversis cerebris oriri potuisse videantur. Inter haec referam illud quod cum Graeco *πάσχειν* in utroque *πάσχα* componitur. Cf. Boerner. fol. 70. et 92. Sangall. 71, 17. — In Boerneriani folio 82. (Thessal. 1, IV, 17.) *ὑπαντήσειν* legitur. Substantivum inde formaturus, librarius *ὑποπαντη* finxit. Similiter in Sangallensis margine *ὑποπαντη*, hoc verbi monstrum, *quater* recurrit, pag. 104. 268. et 361. 365. Quod vide. Locis proxime nominatis scriptura paulum variatur.

§. 60.

His omnibus accurate expensis non dubitamus pronuntiare, codicum nostrorum par ad eandem patriam, ad eandem aetatem, ad eandem scholam referendum esse. Nondum de eo certi aliquid pronuntiare audemus, utrum etiam addere liceat — *ad eundem scribam.* In hanc enim rem accuratius altiusque inquirendum videtur.

At vero hoc certo certius est, in disquisitionibus omnibus duos codices dictos accuratissime coniungendos esse, ita quidem, ut quod alteri consentaneum sit, etiam in alterum cadat necesse sit. Hac autem re omnis de toto nostro libro quaestio multum iuvatur. Quamquam etiam hoc cavendum est, ne ex iis, quae de Boerneriano adhuc valuerunt, temere nonnulla in nostrum transferamus.

---

*) Ibi *κενοδοξία* et *ξενοδοχία* confunduntur.

**) *πολυτελής* ibi cum *διασπολυτες* confusum.

CAP. V.

DE LITERARUM IN CODICE SANGALLENSI FREQUENTISSIMA CONFUSIONE.

§. 61.

Ut in omnibus fere aliis externis, ita et in eo cum Boerneriano noster convenit, quod vel soni propinquitate, vel formae similitudine literae saepissime confunduntur. Ita in Graecis *ει* et *ι*; *αι* et *η*; *η* et *ι*; *αι* et *ε*; *η* et *υ*; cuius rei exempla quaevis fere pagina exhibebit. At vero etiam aliae literae confusae, vel semel, vel saepius, quarum indicem iam praebebo:

Α et *Λ*. pag. 47, 16. 56, 11. 99, 10. 142, 2. 176, 11. 182, 13. 200, 4. 216, penult. 289, 3.
Α et *Υ*. 281, 4.
Α et *Ε*. pag. 179. 5.
Α et *Ο*. pag. 64, 22.
Α et *ΑΙ*. pag. 151, 1. 6.
Β et *Δ*. pag. 264, 3.
Γ et *Ι*. pag. 176, 10. et 11. 177, 18.
Γ et *Τ*. pag. 55, 12. 60, 9. 259, 1.
Γ et *Ρ*. pag. 31, 10. 60, 17.
ΓΙ et *Π*. pag. 218, 9.
Γ et *Λ*. pag. 156, 15.
Δ et *Λ*. pag. 181, 25. 198, 15.
Ε et *Σ*. pag. 20. col. 1. 1. 174, 25.
Ε et *Θ*. pag. 174, 17. pag. 342, 13.
Ε et *ΕΙ*. pag. 62, 4. 68, 22. 209, 11. 302, 15.
Ε et *Η*. pag. 121, ult. 216, 6. 231, 2. 302, 1.
ΕΙ et *ΑΙ*. pag. 390, 14.
Ζ et *Ξ*. pag. 95, 2. 177, 2. 186, 16. 258, 6. 271, 20. 289, 7.
Η et *Π*. pag. 61, 20.
Η et *Π*. pag. 71, 17.
Θ et *Ο*. pag. 29, 21. 30, 2. 276, 4. 283, 12.
Θ et *Σ*. pag. 114, 13.
Ι et *Λ*. pag. 175, 6.
Ι et *Υ*. pag. 59, 7. 48, 2. 99, 13. 100, 13. 102, 16. 185, 12.
ΙΣ et *Κ*. pag. 196, 6.

IΓ et *Π.* pag. 177, 16.
IM et *ΩM.* pag. 176, 16.
IM et *Ω.* pag. 180, 8. 147, 1.
IN et *ΩN.* pag. 135, 17. 147, 12.
K et *X.* pag. 48, 9.
K et *Σ.* pag. 123, 5. 152, 16.
M et *Ω.* pag. 174, 12.
MI et *Ω.* pag. 174, 9.
M et *N.* pag. 58, 15. 64, 11. 103, 11. 127, 15. 270, 6. 274, 4. 277, 5.
M et *P.* pag. 259, 12.
N et *Π.* pag. 215, 8.
N et *Σ.* pag. 273, 3.
O et *Σ.* pag. 93, 5. 71, 8.
O et *OY.* pag. 299, 18.
O et *Ω.* pag. 31, 8. 71, 10. 73, 15. 74, 12. 172, 18. 176, 13. 258, 5. 261, 7. 274, 8.
OY et *Ω.* pag. 152, 19. 82, 6. 161, 14. 271, 13.
T et *P.* pag. 271, 2 et 10.
T et *Y.* pag. 80, 1. 179, 16. 186, 14.
TI et *Π.* pag. 136, 5. 149, 13. 156, 17. 186, 6. 187, 3.
Y et *OY.* pag. 66, 4.
Y et *OI.* pag. 135, 17. 149, 13. 160, 13. 311, 4.
Φ et *Ψ.* pag. 300, 15. 305, 4.

§. 62.

Non minus in Latinis quaedam commixta. Ut hoc plane mittam, quod a *Δ* Graeco ad Latinum D, et versa vice; a B Graeco ad Romanum B et contra; a Graeco P ad Latinum R et contra; a Latino ad Graecum *Nῦ* et contra; a Graeco *Γ* ad Latinum G et contra; a Graeco *Σ* ad Latinum S et contra; a Graeco *π* ad Latinum p et contra aberratur; — quae a scriba vitari vix potuerunt, cui semper ab altera ad alteram linguam redeundum erat — hoc silentio transiri nequit, quod verae litterarum commutationes haud paucae exstant. U et V eodem signo exprimuntur, quod a figura Latini N parum abest, et saepe non distinguitur. V et B affini sono pronuntiabantur, quare saepissime confusa. V. c. pag. 54, 20. 21. 259, 18. 280, 17. Deinde etiam in abbreviaturis quaedam falsa. Quam enim facile, lineola vel producta vel abscissa, *pro* et *per* commutantur? E et I confunduntur pag. 147, 12. u et i pag. 152, 16. — H et N facile commutantur ob similitudinem. pag. 270, 4. *adhaesit.* Item Q et G confunduntur pag. 270, 1. N et R saepe non distinguuntur.

Interdum adeo ad Graeca *vocabula* a Latinis scriba aberravit. Ita pag. 305. lin. pen. supra *λεγοντες* — *legontes* posuit, quod deinde ipse emendavit. Pag. 70, 18. super Graeco *εστιν* literis Latinis *estin* repetitur.

CAP. VI.

DE NOTIS MANUSCRIPTI SANGALLENSIS MARGINALIBUS.

§. 63.

In tractandis fere omnis generis codicibus haud facillimum opus est notarum marginalium explicatio. Vel enim lectu sunt pleraeque adeo difficiles, ut fere divinatione opus sit, si tantummodo syllabae extricari velint. Tamen certo iam detectis ipsis quae intelligi librarius voluit nominibus, difficilius longe illud restat, reperire, quid significare istis cupiverit. Utriusque nos quidem periculum faciamus. Quod ut rectius procedat in quatuor classes notas omnes dispescamus, ac primum quidem de iis agamus, quibus orationis contextae pars quaedam repetitur; deinde de iis, quibus argumentum quod textus tractat in universum designatur; tum de canonum et sectionum numeris; denique de reliquis omnibus notis marginalibus, de quarum singularum ratione quae cum contextu intercedat, quaestio specialis instituenda est.

§. 64.

Speraveram quidem, in Matthaeii me editione Boerneriani haud parum auxilii esse nacturum. Sed spes me fefellit. Namque hic vir laboriosissimus historiae ecclesiasticae adeo fuit ignarus, ut in notissimis adeo haereret. Omnino etiam de diligentiae ipsius fide sensim sensimque dubitationes mihi sunt subnatae. Namque in nonnullis eum aperte errantem deprehendi; sed ubique obstinato animo, quae prius senserat, defendentem. — Sed ad institutum revertam et hoc tantum in universum moneam, ad ea omnia hic non respici, quae vel Graeci vel Latini textus pars integra sint, quamquam in margine legantur.

§. 65.

I. *Orationis contextae pars quaedam ad marginem repetitur.* Ita pag. 23 nascente; pag. 63 *βρωμιυς*, supra scripto *scurra*. pag. 71 *πασχα*. pag. 104, 268 et 361; 365 *υποπαντη* bis aliquantum mutatum; pag. 119 *δηλος*; pag. 131 homine habente manum aridam; ibid. de muliere fluxum sanguinis patiente; ibid. caesaria; pag. 171 duscolus; pag. 174 *ναον* (in textu *ιερον* est); pag. 195 *καταχησις*; pag. 196 *θυμιαμα*; pag. 197 efide; pag. 215 *μετοχη*; pag. 240 calcar *σπαρο*; pag. 258 *περιζωματα*; pag. 262 *αντικε*menoι; pag. 263 *αγωνια*; pag. 270 *δραμις*; pag. 278 *γυν̄*; pag. 283 *ημις*; pag. 284 *πραγμα*; pag. 294 *αποριαμ*ur; pag. 306 *πετασμα*; pag. 309 *καπορικια*; pag. 324 negotium *εμποριος*; pag. 383 *απεκοπη*; pag. 123 angarizaverunt.

§. 66.

In universum iudicantibus non eadem de causa haec omnia repetita esse videbuntur. Partim enim iccirco apposita esse videntur, ut quo loco de re quadam mentio iniecta sit facilius in oculos incurrat partim artis etymologicae experimenta eaque haud semel monstruosa facta

sunt *); partim versionis nova ratio inita est; partim etiam lectores scriba commonefacere voluit de modo, quo Graeca legenda sint, cuius rei exemplum unum tantum exstat *efide* pro Graeco εφειδε; maxime autem, ut nominum quorundam ecclesiasticorum, quae tum in usu vulgari erant, origo ostenderetur **).

§. 67.

II. *Argumentum quod contextus tractat, in universum significatur.* Pauca tantum huius rei exempla mihi notata sunt. Ita pag. 8 *Iudaeorum* et *paganorum* mentio est facta; pag. 18 *deiparae* et *caeci nati.* Quod pag. 123 in margine exstat τιτulus (= titulus) significat crucis sanctae inscriptionem. Apertius idem pag. 188 recurrit, ubi *titulus sanctae crucis* in ora legitur, et pag. 306 ubi Graecis exprimitur τ. αγιου σταυρου. Praeter ista tantummodo *gloria in excelsis* pag. 245 [quod hymnum angelicum qui dicitur designat. Cf. *du Fresne* Glossar. med. et inf. Lat. sub voc. *hymn. angelic.*] et *baptismum Christi* pag. 327 animadverti.

§. 68.

III. *Numeros tam canonum Eusebianorum quam sectionum Ammonianarum et τιτλων seu κεφαλαιων hac paragrapho complectimur.* Quum de his rebus in scholis isagogicis vulgo tractetur, breves esse poterimus. Unius paginae numeros, tironum in gratiam, ut exemplum sit, explicabimus. Casu nobis in oculos incidit pagina 298. Primum in margine conspicis: L.CCLXX. Hoc ostenditur *Lucae* (L.) *sectio ducentesima septuagesima Ammoniana.* Infra scriptum est II, et quidem, quod exprimere nequivimus, *minio.* Ostendit canonem secundum. Hoc iam sufficeret. Si enim canonem secundum (in cod. nostro pag. 10) evolveris, reperies respondere sectioni 270 Lucae 203 Matthaei 114 Marci. Sed hoc in margine ita expressum est, ut ad Matthaei nomen significandum *M* suprascripto *T* adhibitum sit, ad Marci vero *M* superscripto R. Litterae interiectae (*OZ*) Graecae, iam in fine paginae praecedentis expressae, κεφαλαιον indicant. His Graecis κεφαλαιων numeris lineola superscribi et uncus subscribi solebat. Nihil significant. — Deinde inter lineam sextam et septimam ad marginem legis: L. (Lucas) CCLXXI subscripto X, minio, et addita voce: *sol.* Docetur hanc 271 Lucae sectionem in canone decimo quaerendam, apud

*) Huc referas βρωμιυς (nam βωμιευς et monstro βρωμιευς confusis ista notula nata est), υποπαντη, σπαρο (namque cum σπαρασσειν componitur Anglo-Saxonicum *sparro.* Cf. *du Fresne* Gloss. med. et inf. Lat. s. voc.), δραμις, alia.

**) Huc refero καταχησις, θυμιαμα, μετοχη, περιζωμα, αγωνια. Qui enim accuratiorem illorum temporum notitiam sibi comparavit, eum non fugiet, partem legendorum et cantandorum in ecclesia graecam fuisse. Memorabile huius rei exemplum in codice Thuaneo-Colbertino, qui olim fuit bibliothecae Dionysiani prope Parisios monasterii, reperitur. Scriptus is est saeculo ni fallor nono, et exhibet hymnum angelicum et symbolum, Graecis verbis, literis Romanis, ita:

„Pisteugo. ɩsena theon patera — — ke. is. to pneuma. to agion etc. — —"

„Doxa. en ypsistys theo. ke epɩgis. irini. —"

Mabillonius addit: „Iam tum ergo eo in coenobio vigebat usus missae Graecae. Qui ritus hactenus in quinque praecipuis anni festivitatibus observatur."

De *agone* vel αγωνια cf. *Mabill.* Acta ss. etc. Tom. VI, fol. 274. §. 33. — De vocis *anticimenon* usu

solum Lucam haberi. Cf. cod. nostri pag. 14. — Reliqua paginae facile explicabis eadem ratione usque ad lineam penultimam ad cuius marginem *uncum* reperis. Significat, ad eundem evangelistam bis redeundum esse. Quod autem in infima paginae marginali linea vides, est I in O insertum et Ioannis evangelium prodit, cuius sectio CXXVI parallela citatur.

§. 69.

IV. *Haec classis omnes quas nondum tetigimus notas marginales complectitur*, et in tres species dirimi potest. Primo loco eas ponamus, quae vel totis nominibus vel saltem syllabis initialibus exprimi consueverunt, licet interdum etiam nuda litera initialis earum loco ponatur; altero loco eae sint, quae ubique singulis tantum literis exprimuntur; tertio denique eae, quae literarum ductibus sibi invicem insertis vel omnino signis a literarum forma alienis constant.

§. 70.

A. *Notae marginales quae vel totis nominibus vel saltem syllabis initialibus exprimi consueverunt.*

ΓΟΤΙΣΚΑΔΚ. Hanc vocem in toto nostro libro bis tantum pag. 263 et 367 animadverti. Loco proxime citato *ΓΟddιΣΚΑΔΚ.* scribitur. In Boerneriano codice fol. 4 verso, lin. 8, fol. 22 verso. fol. 87, fol. 88 verso, fol. 90 verso, fol. 93 exstat, sed literis ita mutatis, ut modo *ΓΟDDISCALCΟΣ*, modo *ΓΟΔΔΙΣΚ.*, modo (contra) *GΟΔΔΙΣΚΑΔΚΟΝ* et aliis minutis variationibus scribatur. Eo loco quo hoc nomen primum legitur, haec Matthaeius adnotavit: „*notatur nomen proprium, quod Germani dicunt Gottschalk. Sed de quo huius nominis homine hic sermo sit, ignoro.*“ Haud dubie mecum mirabere, quod hominem qui per nonum saeculum ecclesiae Germano-Gallicae tantas turbas concitavit, se ignorare Matthaeius dicit. Namque omnes codicis Boerneriani loci, quibus hoc nomen adhaeret, doctrinae Praedestinatianae vel sedes sunt, vel propugnacula adversus eam. Itaque iam propter arctam, quae inter nostrum et Boernerianum intercedit cognationem colligitur, in nostro libro eundem significari. Sed et is locus, cui nomen in nostro additum est, Praedestinatianorum arx est: *πολλοι ζητησουσιν εισελθειν και ουκ ισχυσουσιν.* Quare non dubitamus, reliquis qui hoc nomine innotuerunt neglectis, ad Orbaci monachum, Augiae divitis alumnum hoc referre.

§. 71.

ΑΓΑΝΩΝ pag. 58, 254, 295, 297.

ΑΓΑ pag. 35, 38, 50, 104.

item in Boerneriano occurrit et quidem

ΑΓΑΝΟΝ fol. 22 rect. 36, 53 vers. (contra) *ΑΓΑΝΟΝ* fol. 54, 64, 65 verso, 70, 81, 90 vers. 96.

ΑΓΑ fol. 26 verso, 65, 93, 96 verso, 98

ΑG fol. 43 verso, 58 et fortasse etiam

ΑGΟ fol. 65.

*ΑGΟ*ʸ fol. 59 verso.

---

vide, si lubet, lib. cit. fol. 467. §. 14. de *angarizare*, ex quo *perangaria* facta est, vox iuridica. Cf. *du Fresne* h. v.

Hoc nomen rarissimum est. Quare quum per se iam sit verisimile, ob interiorem necessitudinem quae inter Sangallensem et Boernerianum intercedit, in utroque eandem personam indigitari, hoc ipsa nominis raritate et aliis etiam firmatur, de quibus statim dicam. Fere triginta enim loca sunt utriusque libri manuscripti, in quibus *Aganon* citatur. Quod si naturam horum locorum spectes, ad unum omnes ascesin spectant, bonorum terrestrium contemtum docent, austeritatem vitae, silentium adeo commendant. Itaque facile ad sententiam deducimur, *Aganonem* de vita monastica eaque severiore scripsisse. Atque hoc idem in eum Aganonem cadit, qui solus hoc nomine nobis innotuit, episcopum Carnotensem, qui IX kalend. Ianuar. DCCCCXLI indict. XIV diem supremum obiit. Hic Agano vel Haganon, Aimerici proximus successor, monasterium S. Petri in valle (S. Pierre en Vallée), a paganis, i. e. Nortmannis, paene in solitudinem redactum, a fundamento reaedificavit, *et canonica institutione clericorum instruxit.* Cf. Acta Sanctorum ord. S. Benedicti. Sec. V a Christo X. fol. 280. coll. 908. Ex proxime laudato loco patet, instrumentum ipsum restitutionis monasterii illius *Aganum* dici consuevisse. Conferri etiam merentur quae de hac re exposita sunt in *du Fresne* Glossar. l. c. sub voc. Aganon. *Matthaeius* de Aganone ne verbum quidem. Obiter tetigit *Mabillonius* in annalium ord. Tom. III, lib. XXXV. fol. 61. med. lib. XLV. fol. 503. inf. Tom. I. lib. VI, fol. 147.

§. 72.

deest (nam ita poni hic potest, quum compendium vocis *est* per totum codicem saepissime repetatur) pag. 48, lin. 7. 124, 150, 390.

-d÷- pag. 144, 159, 220, 348, 375, vel omissis punctulis pag. 159, idem in Boerneriano.

-d÷- fol. 3 verso, fol. 6 verso, fol. 10 verso, fol. 20 verso, fol. 62 verso, fol. 77, fol. 84, fol. 92 verso, fol. 93.

deest in graeco fol. 23 verso.

Quid illo signo vel vocabulo significetur eo minus dubium esse potest, quum in proxime nominato Boerneriani loco dilucide hoc expressum sit. Pag. Sangallensis 124 librarius erat indigitaturus, post *αυτον* deesse, quod in codd. BCL aliis exstat: *αλλος δε λαβων λογχην, ενυξεν αυτου την πλευραν, και εξηλθεν υδωρ και αιμα.* Pag. 144 aliisque iam locus vacuus lacunam ostendit. Maximi autem momenti est, quod semel in Boerneriano additur, *deest in Graeco.* Inde enim colligi posse videtur, non ad Graeco-Latina sed ad Graeca et Latina exempla nostros esse exaratos.

§. 73.

Eb: pag. 124.

Gr. pag. 124.

Γρ. Boern. fol. 57 verso.

eb. Boern. fol. 57 verso., fol. 77 verso.

gre. et *contra gre.* similia, saepissime in Boerner.

Quatuor priora, quae hic posuimus, scribendi compendia in iis codicum Boerneriani et Sangallensis locis addita, in quibus verba hebraica occurrunt, bis adiecta versione Graeca. Quintum illud contextus argumentum indicat.

§. 74.

ENNOLAN. Semel tantum in Sangallensi vidi. Adiectum est ei loco quo Matthaeus munera a magis Christo oblata refert. Pag. 24. Tota antiquitas in *Iuvenci* illo concinebat:

Thus, aurum, myrrham regique hominique deoque

Dona ferunt. — Cf. *Hilarii* carmen libro nostro praefixum v. 22. Ipse *Grotius* ἀλληγορίαν huius loci non plane respuit.

adōl q̄. Etiam haec vox abbreviata semel tantum apud nostrum pag. 79 exstat. Quid *adōl* sit non potest dubitari; ad pag. 78, lin. 20 relatum νεανισκον (adolescentem) spectat. Quomodo q̄ explicem, haereo. Coniicio *quidam* legendum esse, ut argumentum contextus vocibus *adolescens quidam* significetur.

adū. Hoc bis 224 et 362 reperi. *Adverbium* explico.

§. 75.

dub̄. pag. 233, 263, 382, 388 in *Boerner*. fol. 8 v. fol. 85 v. (bis).

ΔῩΒ. pag. 313.

Quum tam in nostri quam in Boerneriani margine saepissime literae Graecae et Romanae confundantur, non dubito, quin *ΔῩΒ* idem significet, quod *dub̄*. Unum tantum hoc interesse videtur, quod scriba literis maioribus magnum aliquod significaturus erat. In omnibus locis, quae adnotata sunt, vel Latina versio cum Graeco pugnat, vel intelligi saltem nequit, utram lectionem Graecam Latinus interpres amplexus fuerit. Quare haesitationem de veritate lectionis ita exprimi existimo. Maiores literae in fine Lucae positae ostendunt magnitudinem dubitationis, quum ibi de veritate ascensus Christi in coelum testes non consentiant.

astiriscos. Hanc vocem semel reperi in pag. 300. Ad quatuor lineas ibidem .※. additum est. Notissimum signum, quo primus Origenes ad significanda ea LXX loca usus est, quae, in textu quidem vulgari non reperta, recipienda viderentur.

§. 76.

Boetii. Nemo, opinor, dubitabit de eo qui hic intelligendus sit Boetio. Namque per totam mediam aetatem in omnium ferme eruditorum manibus versabatur is, quem Theodoricus rex, quum adhuc eius amicitia uteretur, ita allocutus est: „sic Atheniensium scholas introisti, sic palliorum choris miscuisti togam, ut Graecorum dogmata doctrinam feceris esse Romanam. Didicisti enim, qua profunditate cum suis partibus speculativa cogitetur, qua ratione activa cum sua divisione discatur, deducens ad Romuleos senatores, quicquid Cecropidae mundo fecerant singulare. Translationibus enim tuis Pythagoras musicus, Ptolemaeus astronomus leguntur Itali. Nicomachus arithmeticus, geometricus Euclides audiuntur Ausonii. Plato theologus, Aristoteles logicus Quirinali voce disceptant. Mechanicum etiam Archimedem Latialem Siculis

reddidisti. Et quascunque artes Graecia per singulos viros edidit, te uno auctore patrio sermone Roma suscepit, quos tanta verborum luculentia reddidisti claros, tanta linguae proprietate conspicuos, ut potuissent et illi opus tuum praeferre, si utrumque didicissent." Inprimis apud Benedictinos celebrabatur. Namque quamvis *Boëtius* tribus annis prius quam Benedictus montem Casinum inviseret, mortuus est, tamen fama vulgabatur huius monasterii fautor atque amicus, adeoque nomini ipsius seriori tempore Romae monasterium dicatum est. Cf. *Mabillon.* annal. Ord. S. Bened. Tom. I. fol. 59. fol. 537. Eiusdem opera inprimis dialectica et musica et Porphyrii quaedam ut per totam mediam aetatem literatorum manibus terebantur, etiam in eo monasterio innotuisse videntur, in quo noster et Boernerianus exarati sunt. Vide Boerner. fol. 2, 46. 67 verso. 89. 90. — Memoria etiam hoc dignum videtur, quod per Aelfredum regem Boëtii de consolatione philosophiae libri 5 in Anglosaxonicam dialectum translati sunt, ut omnino apud Saxones Anglos Boëtius multum versabatur. Cf. *Mabill.* iter Ital. pag. 221. Nam quum sint aliqui, qui Boerneriani patriam Britanniam esse statuant, hoc efficitur, etiam in Britannia Boëtii floruisse auctoritatem.

Non mihi sumserim definire, ad quem Boëtii locum librarius pag. 140 respexerit; sed hoc non possum non monere, inter libros ab Hartmuodo Sancti-Gallensibus relictos, Boëtii libros philosophicae consolationis fuisse. Cf. *Goldast.* rerr. Alamann. P. II, p. 32; et indice bibliothecae S. Galli, nono saeculo confecto, teste, eiusdem arithmeticam. Cf. *Orellii* ep. ad *Madvig.* pag. XVII.

§. 77.

Martianum lege. pag. 135.
Μαρτια͡. pag. 294.
Μαρτι͡. pag. 270.
Μα͡ρ. pag. 35, 59, 62, 158, 256, 331 (?) 359.
M͡. pag. 62, 64, 65, 70, 347.
Felix Capella. pag. 222.
deinde in Boerneriano
Μα͡ρ. fol. 30 verso, fol. 32 verso, fol. 39, fol. 43 verso, fol. 44 verso, fol. 45, fol. 48 et 48 verso, fol. 64, fol. 77, fol. 89.

haec omnia sine dubio ad unum scriptorem, ad *Martianum Mineum Felicem Capellam* referenda sunt, cuius per media tempora in omnium eruditorum manibus Satyricon fuit, oratione, ex consuetudine sui temporis *), pedestri et ligata mixtum, septem libris **) grammaticam, logicam, rhetoricam, mathesin, arithmeticam, astronomiam, musicam exponens; de quo iuvenis *Grotius* in epistola, quam ad Henricum Borbonium dedit, eius, ait, de septem

*) Simili modo etiam *Boethius* (hanc enim scribendi rationem alteri praefero, quam modo ob codicis nostri exemplum secutus fui) prosam versusque in libro de consolatione philosophiae miscuit.
**) *Septem* dico. Emenda *Baehrium* in libro: Geschichte der röm. Lit. 1828. pag. 539.

disciplinis *συνταγμα* tanto in honore, tantaque in aestimatione paucis retroactis saeculis habitus fuit, *ut solus pro omnibus aliis legeretur* *).

§. 78.

Opus non est, ut plura de Martiano adiiciam. Conferas, si placet, *Baehrii* historiam Romanorum literariam §. 358 et libros ibi citatos. Sed opus fortasse esse tibi videbitur, ut loca referam, ad quae noster respexisse videatur. Ardua res, in qua coniecturis contenti simus necesse est. Exemplum ponam. Pag. 35 ad marginem ad Martianum provocatur. In textu legis: *μη μεριμνατε τη ψυχη υμων, τι φαγητε και τι πιητε, μητε τω σωματι υμων τι ενδυσησθε. Ουχι η ψυχη πλειον εστιν της τροφης, και το σωμα του ενδυματος*; Collocatio vocis *Mar* prodit, ad *ουχι η ψυχη κτλ.* glossatorem respexisse. Sed ad dialecticam respexit, an ad rhetoricam? Quis certo certius hoc definiat? Mihi quidem verisimile videtur, ad lib. V respici, editionis Grotianae pag. 160 haec verba: „*a comparatione maiorum: quis dubitet a Siculis petisse pecuniam Verrem, cum a Marco Octavio Ligure postularet? Virgilius: Tu potes unanimes armare in proelia fratres. Ex hoc utique probat, et alienos posse, quod minus est* cet." At vero quis confirmaverit? Namque in aliis locis etiam ad grammaticam *Capellae* noster intentus fuisse videtur. Quid dicam de figuris eorumque nominibus? quid de toto reliquo apparatu rhetorico? Non hyperbolice loquar. At vero spondeo, tria me in quovis loco exhibiturum esse, quo librarius ad Martianum provocavit, quae respexisse videri possit. Quare, missis omnibus his locis, lecturis id negotii relinquo, ut sibi Martiani loca citata adpingant.

§. 79.

At, dicis, si tanto spatio egrediebatur librarius, quid utilitatis inde in lectorem redundavit? Non in usum lectorum variorum nostri libri comparati sunt, quod alio loco demonstratum ivimus, sed scholarium. Itaque quae adnotata sunt a praeceptore adnotata videntur, ut recordaretur, quae loco aliquo animadvertenda essent.

§. 80.

Restat ut de eo loquar, quod mirari fortasse possis, *M nudo* Martianum significari. Aliquoties tantummodo hoc reperis, quatuor propinquis paginis, ampliore compendio praecedente, et praeterea semel pag. 347. Neque si aliter esset mirarer. Namque usus, cui liber destinatus fuisse videtur, satis hoc excusaret **). Ecclesiastici usus indicium nusquam reperi. Qui in Boerneriano haud semel animadvertitur.

---

*) In monasterio Sancti-Gallensi Martiani opera ex Hartmuodi dono habebantur. Incidit autem hujus abbatis mors in annum Christi 872. Vid. de his omnibus *Goldasti* rerr. Alamannicarum Part. 1. p. 32.

**) Tamen monendum est, nomina primâ literâ significandi usum medio aevo vulgatissimum fuisse. Cf. *Mabill.* Acta SS. etc. Tom. VII, fol. 19. §. 16.

Nisi liceret, illum usum scholasticum statuere, plane non intelligerem, quid de ea nota faciendum esset, de qua statim agam, de nota

ΓΑ quae semel tantum in toto nostro libro pag. 196 reperitur. Neque etiam in Boerneriano vestigium exstat. Iam autem quum mihi persuasum sit, magistros ipsos in suos usus pleraque adspersisse, etiam in hunc locum id cadere existimaverim. Magistri parum docti in primis in eo versantur, quod synonyma afferunt. Itaque quum quod loco citato *κοιλια* est, in aliis N. T. locis *γαστηρ* sit, hanc vocem hic a magistro literis initialibus significatam esse iudicaverim, ut in lectione statim ipsius in mentem rediret. Si quid novisti rectius istis, candidus imperti; si non, his utere mecum.

§. 81.

aptm. Omnis abbreviaturarum usus docet, *apostolum* hoc compendio significari. Harum rerum minus periti *Waltheri* lexicon diplomaticum adeant, et idem e columna XIX, pluribus plurium saeculorum exemplis discant. At vero haereo, qua ratione vocabulum cum textu contineatur. Coniicio *lege* vel simile verbum cogitatione addendum esse *), et respici ad 1 Petr. V, 8. *Γρηγορησατε. Ο αντιδικος υμων διαβολος ως λεων ωρυομενος περιπατει ζητων τινα καταπιειν*, vel similem aliquem N. T. epistolarum locum. *Apostolus* enim antiquo usu sylloge epistolarum apostolicarum nominabatur. Quod in vulgus notum **). Ita etiam pag. 119. 1. *unde in apostolo colophizat* explicandum.

§. 82.

KAT. Hoc compendium bis tantummodo in libro nostro reperi. Primum enim pag. 196. deinde pag. 274 exstat. Tam de nomine, quod hoc compendio significatur, quam de explicatione dubito. Statim enim intuentibus nobis in mentem venit, quod praecedente pagina 195 plenis literis scriptum est, *καταχησις*, etiam hic significari tribus initialibus. At vero non intelligo, quid hac voce hîc sibi voluerit scriba. Primo loco, pag. 195, facile cur adiectum sit sentitur. Textus verba ansam praebuerunt. Quodsi pag. 196 et 274 repetitur, nullam adiecti verbi causam expiscor, nisi hanc, locum istum ad quem vox addita est accuratius catechesi

*) Nec fortasse hoc quidem. Plane enim non contra pugnabo si nominativum *apostolum* existimes. Saepissime enim illa aetate genera commutarunt, inprimis personarum nominibus ad res translatis. Nusquam hymnum pro hymnus apud antiquos. Tamen in codice Thuaneo-Colbertino: YMNYM ANGELICUM. Vid. *Mabill.* de re diplomat. fol. 367.

**) Cf. *Du Fresne* Glossar. mediae et infimae Graecitatis, sub voc. *ἀπόστολος*; *Suiceri* Thesaur. eccles. sub eodem vocabulo; *du Fresne* Gloss. med. et infim. latin. sub voce *apostolus* et *Eosdem* sub voc. *πραξαπόστολος*. *Suicerus ἀπόστολον* et *πραξαπόστολον* eundem librum ostendere ait. Recte. Nullus enim mihi locus innotuit, quo doceretur, *ἀπόστολον* solas Pauli epistolas complecti. Quae opinio inde emersa est, quia Paulus non semel *ὁ ἀπόστολος* singulariter nominabatur. Liber Sacrament. *Gregorii M.*: „deinde sequitur apostolus.“ *Hincmar. Rem.* Tom. 2. opusc. 7. pag. 149. „Usque ad evangelium in missa stare solent et recedunt. Statim post apostolum — — — haec legite.“ *Mabillon.* iter Italic. Vol. II. Mus. pag. septima ordinis antiquissimi Romani: „Rediens ad pontificem subdiaconus, porrigit ei mappulam, inclinans se ad genua illius, et dicens, — — talis subdiaconus — — leget apostolum, et talis de schola cantabit.“ aa. ll.

tractandum esse. Quid vero *duos* in toto libro locos adeo insigniverit, ut ad eos solos ista nota adiiceretur, plane non comprehendo. Exspectandum potius foret, ut, si ita esset, innumeris vicibus rediret. Quare aliud investigandum est. Quod facile pateret, si compendium sola pag. 274 exstaret. Ad textus enim verba *καϑ ημεραν* referrem, quae ut alia multa in margine repetita sint. At pag. 196 hoc statui nequit. Quare in utroque loco *καϑημερινας* significatas esse coniicio, ita quidem, ut priore loco ad argumentum talis alicuius carminis, illo tempore vulgati alludatur *); posteriore ad nomen ipsum. Quod, quantum scio, inprimis per *Aurelium Prudentium* nobilitatum est; poëtam inter Christianos haud infimo loco collocandum, cuius quidem hymni, puro plerumque metro alligati, qui hodie legantur dignissimi sunt. Inter reliquos Galliambus eminet, quo Catulliana dexteritate „*Christi insignia gesta*“ canuntur.

§. 83.

ΑΠΟΚΟΠΗ baptismum ān passionem

Haec omnia in paginae 327 margine reperta unum sensum efficiunt, hunc: *Deest decollatio Ioannis, et baptismus, cuius hic mentio iniicitur, ante passionem Ioannis collocandus est.* Itaque cum reliquorum evangelistarum narratione Ioannis relatio componitur, et quid desit indicatur. Itaque haec verba etiam supra N. II. ponere potuissem. Sunt enim quodammodo titulus negativus.

§. 84.

ΦE ī ḡ mār ī lā. Pag. 331.

Haud cunctanter *Φε* ad Graeci textus verbum *φαγε* respicere cordatior quisque pronuntiabit. In reliquis exponendis etiam sagaciores haerebunt. Non unum enim virum doctum vidi haesitantem, quid de hisce compendiis statueret. Equidem ita explico. *I* suprapicta lineola significat *in*. Tritissimo usu. *G* suprapicta lineola ostendit *Grae*, ut *p̄* = *prae*, aliaque. *mār* *magister* legendum est. Compendium serioribus saeculis adeo ad *mr̄* reductum. Cf. *Waltheri* Lexic. diplom. col. 216. lin. 24. 25. — Alterum *Ī* iterum lege *in* et quod sequitur *lā* pronuntia *Latino*. Totum igitur ita sonat: *ΦΑΓΕ in Graeco magister in Latino*. Itaque glossator Ioannem pro consuetudine Hebraicum *ΡΑΒΒΙ* etiam in Graecum transtulisse suspicatus est, et ipse, quod in Vercellensi est, *magister* addendum putavit.

§. 85.

ĭutū ioh. ΟΛΟΓΟΣ. Pag. 367.

Quilibet videt, quid hic legendum sit. Eruditionem suam glossator iterum parum felici ratione ostendit, ad evangelii Ioannei initium, a *ΛΟΓΩι* sumtum, hic lectorem revocans, ubi plane alia significatione *ΛΟΓΟΣ* exstat.

§. 86.

ī roma. Pag. 376. Lege: *in Romanos.*

Nobilissimus locus, qui ad dogmatum historiam conferre posse videtur. Sunt enim haec

*) Fortasse ad *Tutilonis* carmen: *Hodie cantandus est* cet., quod in monasterio Sangallensi dictaverat, respicitur. Cf. *Mabillon.* Act. ord. S. Bened. saec. V. fol. 12. infimo.

verba ad eam textus lineam adiecta, in qua legitur: *το πνευμα της αληϑειας ο παρα του πατρος εκπορευεται.* Defendebant Romani additamentum in symbolo *filioque.* Itaque patet, in eo monasterio, in quo haec glossa margini codicis nostri addita est, homines non metuisse, adversus Romanae sedis auctoritatem ex libris sacris in lite per multos annos acriter tractata illo tempore testimonia afferre. Serius ad hunc locum in alia paragrapho redibimus.

§. 87.

NOT. Pag. 381.

Aliquantisper haesitavi, utrum *MOY* an *MOT* an *NOT* haec notula legenda sit. Namque eius formae *τον M* recordabar, quae literarum initialium in voce *Ματϑαιος* in nostro codice est. Statim autem in mentem mihi redibat, hanc *τον M* formam nusquam in nostri codicis margine exstare, et idcirco *NOT'* legi debere. Aliud nomen non reperi, quod hoc initium significare posset, quam *Notker* vel *Notger*, cuius nominis quinque viri Sangallenses claruerunt. Vix dici poterit, quis h. l. significatus sit. Namque per totam antiquitatem saepissime ita commutantur, ut discerni fere nequeant. Id unum mihi certum est, undecimi saeculi Notgeros non esse significatos, quia in hoc saeculo tales Graecarum literarum characteres non amplius reperiuntur, quales in nostri margine exstant. Itaque ad *Notgerum Balbulum*, *Piperisgranum* et *episcopum Leodicensem*, tres S. Galli alumnos, revocati sumus. *Notgeri Piperisgrani* nulla exstant monumenta. Aut igitur Balbulus significatur († 912) aut Leodicensis († 1007). Omnia utriusque opera, quae adhuc exstant, et quae hic in censum venire posse videantur, perlegi, neque quicquam reperi ad quod glossatorem respexisse putem. Quare verisimillimum mihi visum est, ad Balbuli grammatici opera haec referre; praesertim quum fere plurimae nostri codicis notae marginales scholasticas artes spectent. De eodem Notkero infra plura dicentur.

§. 88.

EM. Semel in toto libro, pag. 278. Ad *ημεραν* refero eiusdem lineae. Quotiescunque enim *ημερα* nominabatur, diei extremi iudicii antiquis in mentem venit.

Sedul. Semel pag. 377. Duo *Sedulii Scoti* illa aetate in scholarum usibus. Ad presbyteri Christiani exemplum seriores poëtae Christiani stylum suum poeticum conformarunt; in plerisque bibliothecarum antiquarum catalogis eius opera reperiuntur. In bibliothecae S. Galli indicibus, saeculo nono comparatis aliquoties eius *metrum* (sic) memoratur; unum exemplum Sangallense iam Turici habetur. Inprimis in Britannia colebatur, et totos versus apud Sangallenses ex eo reperi. *Alcuinus* (de pontificib. et Sanctis eccl. Eb. ap. *Gale.* T. I. p. 730.) ita cecinit de bibliotheca Eboracensi:

Quae Victorinus scripsere Boëtius, atque
Historici veteres, Pompeius, Plinius, ipse
Acer Aristoteles, rhetor atque Tullius ingens;
Quid quoque *Sedulius*, vel quid canit ipse Iuvencus cet.

At vero frustra omnia eius quae exstant scripta percurri, ut locum reperirem, quem glossator respexerit. Quare ad alterum *Sedulium Scotum* respici non dubitaverim, quem *Hepidannus* in Annal. l. c. anno 818 claruisse dicit, ad quem eundem etiam psalterium Graecum referunt, cuius mentio a nobis facta est, de codicis nostri patria disserentibus. Huius *Sedulii* grammatica quaedam opuscula *Labbeus* in bibliotheca Thuana exstare refert; ad quae fortasse illo tempore maxime respiciebatur. Namque universa ex Caroli quidem Magni mente institutio scholastica a grammatica proficiscebatur, inque grammatica fere complebatur. Vide Caroli epistolam scholasticam in Annal. Bened. Tom. II. pag. 278 ss. quae etiam aliis multis in libris repetita est.

ι or. Pag. 357. Diu haesitavi quid de his verbis facerem. Iam explicationem verborum contextus *εις αυτον* existimo et lego *in orationem*. Sententia: et crediderunt iis quae proferebat.

ut sn ipso fac ÷ nt. Pag. 384. Lege: ut sine ipso factum est nihil; et expedi: Ea quae in textu legis quod ad grammaticam similia sunt his: *sine ipso factum est nihil.*

§. 89.

DON. pag. 358.
DO. pag. 117. 379.
ΔON. Boerner. fol. 16. 53.
DON. Boerner. fol. 5.
DO. Boerner. fol. 18.

Haec compendia unum scriptorem, Grammaticum ostendunt, *Donatum*, cuius opera *Alcuinus* loc. cit. his verbis memorat:

Quid Probus atque Phocas, *Donatus* Priscianusve.

Per totam mediam aetatem in summo honore *Aelius Donatus* habebatur quod vel inde intelligitur quod iam 1450 per *Io. Fust* editio princeps proposita est. In S. Galli monasterio iam saeculo nono plura eius exempla habebantur, catalogis testibus, qui ibidem asservantur. In nostro codice bis *παροιμιων* mentione in textu facta, ad Donatum provocatur. Pag. 117 ad hyperbolen *Donatus* magister citatur. Maxime miror quod in Luca ad eandem sententiam ad quam in Matthaeo *Donatus* nominatus est.

§. 90.

ΠEP. additur. Pag. 300. Interim mihi certum est, plane nihil referre, utrum Latinis haec an Graecis scripta sint, quum hisce promiscue librarius in margine utatur. Si coniectura uti licet, qua librarii honor minuitur, equidem *yperbole* legendum esse censuerim.

Ap. Semel exstat pag. 361. In quibusdam codicibus eo loco cui haec nota adhaeret, verbis *και την αδελφην αυτης* ipsum Mariae nomen vel praemittitur, vel sociatur. Inprimis hoc de Vercellensi valet. Quare librarium grammaticum, hominem perverse eruditum, *ap* adiecisse autumo, significaturum, per *aposiopesin* Mariae nomen esse suppressum. Equidem saltem tale vitium apud nostrum non miror.

§. 91.

B. *Notae marginales, quae ubique literis vel singulis vel binis exprimuntur, nunquam vero syllabis perfectis.* Haud exiguus earum est numerus tam in nostro quam in Boerneriano. Etiam harum ut omnium ferme marginalium aenigmatum solutionem desperavit Matthaeius haud semel suum illud, *nemo, credo, ista explicabit*, exclamans. Nos quidem in hac re breves erimus. Distinguimus enim notulas, quae una sola litera exprimuntur, et quae pluribus. De plerisque enim iis, quae singulis literis constant, nobis certissimum est, vocis in legendo modulationem indicari. Docuit nos hanc rem magister doctissimus simul et antiquissimus, cui fidem derogare non audeo, *Notkerus Balbulus*, Sancti Galli circa annum DCCCC monachus. Ipsa eius verba repetam, praemonens, praefationis vocem „*cantilenam*" ab omnibus adhuc, qui de hac scriptiuncula monuerunt, perperam ita esse intellectam, quasi literae Alphabeti, quas Notkerus refert, earum notarum vices olim gesserint, quibus nunc musici utuntur *). Vox enim *cantilena* non solum de perfecto cantu, sed de variegata omnino lectione usurpabatur **), et *Notkeri* expositiones produnt, magis pronuntiationem aptam, quam sonorum varietatem respici. *Notkerus* autem ita scribit ***):

Notker Lantberto fratri salutem. Quid singulae literae in superscriptione significent cantilenae, prout potui, iuxta tuam petitionem explanare curavi.

A. Ut *altius elevetur* admonet ****).

B. Secundum literas quibus adiungitur ut *bene* i. e. *multum extollatur vel gravetur sive teneatur* belgicat †).

C. Ut *cito vel celeriter dicatur*, certificat.

D. Ut *deprimatur* demonstrat.

E. Ut *equaliter sonetur* eloquitur.

F. Ut *cum fragore seu frendore feriatur*, flagitat ††).

G. Ut in *gutture gradatim garruletur genuine* gratulatur †††).

H. Ut in scriptura *adspirat tantum*, ita et in nota id ipsum habitat ††††).

I. *Iussum* vel *inferius* insinuat; *gratitudinem* pro G interdum indicat *†).

---

*) Vid. *Mabill.* ann. Ben. Tom. IV. lib. 49, n. 80. pag. 36 et pag. 688.

**) Cf. *Boethii* de arte musica lib. I. cap. 31. 32.

***) Reperitur *Notkeri* libellus in *Canisii* antiq. lectionis Tom. V. Part. 2. pag. 739 ss. Inde ego delibavi. Repetivit eundem *Mabillon.* in annal. Bened. Tom. IV. append. VII. fol. 688 s.

****) Adverte temporis illius artificium! Verbum enim cuiusque sententiae ab ea litera incipit, cuius vis atque potestas describitur.

†) Quid hoc *belgicat* sit, non reperio. Nemo enim unquam in ullo monumento praeter nostrum eius vestigium detexit.

††) Ita emendo pro *efflagitat*, quod impressum est. Causa palam!

†††) Itaque G plura ostendere potest.

††††) Verborum seriem paulum mutavi.

*†) In codice nostro plura g et i confusarum exempla exstant.

K. Licet apud Latinos nihil valeat, apud nos tamen Alemannos pro χ Graeca positum *chlenche* ⁞. *) *clange* clamitat.

L. *Levare* laetatur.

M. *Mediocriter melodiam moderari mendicando* memorat.

N. *Notare* hoc est *noscitare* notificat **).

O. *Figuram sui in ore cantantis* ordinat.

P. *Pressionem* vel *prensionem* praedicat ***).

Q. In significationibus notarum *quur*, quaeritur! Quum etiam in verbis ad nihil aliud scribatur, nisi ut sequens V. vim suam amittere quaeratur ****).

R. *Rectitudinem* vel *rasuram* non abolitionis sed caespitationis †) rogitat.

S. *Susum* vel *sursum scandere* sibilat.

T. *Trahere* vel *tenere* debere testatur.

V. Licet amissa in suo veluti valde Vau Graeca vel Hebraea velificat ††).

X. Quamvis Latina verba per se non †††) inchoet, tamen exspectare expetit.

Y. Apud Latinos nihil hymnizat.

Z. vero licet et ipsa mere Graeca et ob id haud necessaria Romanis, propter praedictam tamen R. literae occupationem ad alia *requirere* in sua lingua *zitise* ††††) requirit.

Ubicunque autem duae vel tres aut plures literae ponuntur in uno loco, ex superiore interpretatione, maximeque ex illa, quam de B. dixi, quid sibi velint facile poterint adverti. Salutant te Ellinici fratres *†) monentes te fieri de ratione embolismi triennis, ut absque errore gnarus esse valeas biennis, contempto precio divitiarum Xerxis.

§. 92.

Quodsi singula accurate expendas, illico reperies, plura inesse, quae ad cantum omnino non spectant. Huc refero, quae ad literas Q. R. Z. dicta sunt. Quare existimo, Notkerum, has

---

*) Hoc idem signum saepe in codicis nostri contextu. Est *id est*.

**) Est igitur nostrum N. B. = nota bene.

***) Hanc lineam non intelligo.

****) Plura emendavi. Pro *cur* scripsi *quur*, pro *quaeratur quaeritur*, pro *quaeritur-quaeratur*.

†) Ita legendum esse coniicio. Vulgatum est *crispationis*. Quod sensu caret. De variatione soni eiusdem vulgo interpretantur. Sed nescio, quo nexu. Sententia est: R. rogitat rectitudinem vel rasuram = R. ostendit, haerere librarium de veritate alicuius verborum contextorum partis. Ut hoc clarius fieret *Notkerus* addidit: non abolitionis sed caespitationis. Rasurae enim duplicem speciem distinxisse videtur, alteram verae, alteram lacunae tantum. Quare dicit, se non dicere lacunam natam abolitione, sed dubitatione de veritate lectionis.

††) Non auguror sententiam, nisi haec est: Vau re vera Graecum et Hebraeum esse, sed in Graeco interiisse. *Velificat* non intelligo.

†††) *Non* ex meo addidi.

††††) ζητησαι. Pro *requirit* in expressis est *require*.

*†) Ex his verbis intelligitur, iam nono saeculo Hellenas in coenobio Sanctigallensi fuisse, nisi ad Graece doctos referre praeplaceat.

expositiones scribentem, in praefatione voce *cantilenae* usum esse, quod potioris argumenti memor erat.

§. 93.

In nostro codice eo fere sensu quem Notkerus exposuit, deprehendi has literas·

A. Bis tantum animadverti paginis 327 et 357.

C. In paginis sexaginta novem, ita ut in nonnullis semel tantum, in aliis bis, in aliis saepius reperiatur. In Matthaeo paginis solis 41, 46, 47, 78, 92 detegitur. Per alteram Matthaei partem et per totum Marcum ne vestigium quidem. In pagina 196, quae est secunda Lucae, primum redit.

E. Pag. 60. pag. 92. pag. 264. (hic rubro colore pictum.)

K. Semel pag. 211 exstat, non affirmarim sensu Notkeriano.

L. In paginis septuaginta tribus conspicitur, semel, bis terve, per singulas paginas. In omnibus locis. *Notkeri* expositio locum habere potest.

N. Bis tantum legitur pag. 53, 70. Sed priore loco certo Graecum est, et ad *ονοματι* referendum; altero loco nescio utrum N. an H. esse dicam.

P. Nude positum semel tantum reperi. Quum Notkerum non intelligam, multo minus expositionem probabilem huius literae referre possum. Lineola supraposita abbreviaturam significat vulgaris consuetudinis *prae*. Quod in hunc locum non quadrat. Quare idem significare existimo, quod Ps. Quod vide.

Q. Tricies exstat. Significatio quae a Notkero huic literae vindicatur adeo vaga est, ut non amplius immorandum sit. Facile enim in quavis linea aliquid reperies, in quo *cur* quaeri possit.

R. Plus quam centies in codicis margine scriptum est, fere semper hac forma (r); sed etiam hac (R) minutissima. Iis locis adiectum esse vidi, de quorum vel lectione vel versione librario non constabat, in quibus igitur spatia vacua relinquebat, quae quidem veritate inventa, repleta sunt, at vero pleraque usque ad nostra tempora duraverunt.

Z. Haec litera formis aliquantum variantibus in plus quam centum locis legitur. In *Notkeri* explanatione acquiescendum mihi esse videtur. Matthaeius ad Boernerianum ne suspicatus quidem est, *Zeta* illa notula quam miratur repraesentari.

§. 94.

Haec de Latinis simplicibus. Restat ut de literis P̃S, quae saepissime coniunctae occurrunt, verba fiant. Haec loca observavi: pag. 24 (bis) pag. 56, 73, 105, 212, 232, 267, 283, 304, 306, 353. Licet *Waltherus* in lexico suo diplomatico p̃s saepissime explicuerit, tamen nusquam ita, ut liber noster efflagitat. Sine ulla enim cunctatione *praesens* hoc compendium explanandum est. Sexcentis enim locis in libro Sangallensi linea literae cuidam superaddita, *rae* ostendit. Quare aperte *praes* legendum. Quod nullo alio modo expleri potest. Si tam nostri codicis loca citata, quam Boerneriani pag. 55, 88, vers. et 95, evolveris, in sola fortasse pagina 56 nostri

haerebis. Sed librarius parum eruditus deque verborum formis parum certus, εχων ita propius definivit. Pag. 212 εξηλθεν praesens habuit, ut aliis locis βαλε aliaque.

§. 95.

De Graecis marginum literis agenti, duae tantum *Γ* et *Τ* respiciendae sunt. Nam quae aliae in marginibus deprehenduntur literae Graecae, numerorum loco sunt, vel quaternionum vel capitulorum seriem docentes.

§. 96.

Γ. De gamma quidem hoc observavi. Usque ad paginam nonagesimam quartam ne vestigium quidem huius literae. Pagina 95 primum legitur et deinde usque ad paginam 190 in pluribus quam quadraginta foliis — in multis aliquoties, exstat. Deinde per quinquaginta quatuor paginas *semel*, pag. 221 animadverti, in quo tamen loco haereo, utrum vere γ sit, necne. A pagina denique 244 usque ad finem libri octies observatur. Nemo poterit, quin hanc scribae inconstantiam miretur. Quodcunque enim ista litera significetur, apertum hoc saltem est, addendi causam etiam in iis locis libri fuisse, in quibus non conspicitur, quum in quarta libri minimum quadragies legatur, dum per tres reliquas partes vix decies compareat. Plura de hac re alio loco.

Quid vero *Γ* significat? *Montfaucon* in palaeographiae Graecae libro V, pag. 370. col. 1 linea penultima figuram nostrae simillimam exhibet, quam παραγραφος denominat, et pag. 372 *Isidori* his verbis describit: „paragraphus ponitur ad separandas res a rebus, quae in connexu concurrunt, quemadmodum in catalogo loca a locis et regiones a regionibus, in agone praemia a praemiis, certamina a diversis certaminibus separantur.“ Haec in nostrum *Γ* plane quadrant. Namque ad plurimos locos ista Isidoriana applicare conatus sum, et reperi, ad eas potissimum lineas *Γ* esse adiectum, in quibus post sententiam generaliter expressam vel singulae eius partes, vel accuratior ipsius descriptio, maxime praecedente και, exegetice adnectitur. Primum lectionis varietatem ita significari existimaveram, quod γρ in aliis plerisque codicibus ita marginibus adduntur, ut γραφεται vel γραψον significent. Cf. *Bastii* comment. palaeograph. Gregor. Cor. additam pag. 802. Sed quum hunc in finem librum nostrum examinarem, in omnibus ferme lineis, ad quas *Γ* additum est, nullam lectionis varietatem detexi.

§. 97.

Τ τιτλον significare in vulgus est notum. Quare de hac re ipsa non dubitavi. Sed non statim reperi, quem canonem in ponenda hac litera librarius secutus sit. Iam hunc statuo: Si in fronte capitis vel sectionis inscriptio vel titulus additus esset, ad eam lineam *Τ* adpinxit, in qua vox ea occurreret, quae tituli sententiam maxime efficeret. Ad hunc canonem omnes libri nostri locos examinavi, et verum esse mihi persuasi.

Caeterum *Τ* octies in Matthaeo; paginis viginti duabus (in multis paginis quater vel adeo quinquies) in Marco; quinquies in Luca et Ioanne redit.

§. 98.

C. *Notae marginales, quae vel literarum ductibus sibi invicem insertis vel aliis signis a literarum forma alienis constant.* Singulas recensebo et explicabo. Quod Matthaeius quaedam non explicuit, eo minus condonandum est, quum iam in *Montefalconii* aliorumque operibus solutio exhibeatur.

Xb̄. Semel tantum in nostro habetur, in fronte libri. Explica: *Christus benedictus.* Eadem formula hodieque Catholici omne novum opus augurantur.

§. 99.

☧. In Matthaeo quatuor paginis hoc signum offenditur (pag. 75, 103, 108, 115); in Marco nusquam exstat; in Lucae et Ioannis paginis viginti duabus conspicitur. *Montefalconius* (palaeographiae lib. V. pag. 344, 345, 347, 348, 370, 372) *χρονον*, *χρυσιον* vel *χρυσον*, *χρυσοστομον*, *χριστον* (hoc tamen in manuscripto raro) *χρισμα* (ita et *Isidorus*) et *χρησιμον* hanc figuram notare probat, et ex loci natura pendere, quae explicatio ineunda sit. In libro nostro postremum ubique legendum est, de quo apud *Montefalconium* pag. 372 ita: „*haec sola ex voluntate cuiusque ad aliquid notandum ponitur.*“ Noster inprimis practicis quae dicuntur praeceptis addit, ut quae de eleemosynis, de extremo iudicio, de ratione aliquando reddenda, de precibus earumque exauditione cet. agunt.

☧. Haec nota, id est *χ* inserto r Latino, semel tantum in toto codice notatur. Sine dubio ab *ρ* Graeco, quod alias in hac nota inseri consuevit, librarius ad Latinum *r* aberravit.

§. 100.

⳩. Hoc gramma pagg. 218, 245, 254, 274, 371 exstat. Locis additur, quae scribam de indignitate et perversitate humana admonent, de eo, quod homo non operibus sed beneplacito divino regni coelestis particeps evadit. Quare Christi auxilium implorat, *Χριστε ελεισον* exclamans. Id enim hoc signo exprimitur.

·X·. Asteriscus. Vide *Epiphanium* de ponderibus et mensuris ed. Colon. 1682. Tom. II. pag. 158 et multos alios tam antiquitatis quam huius temporis scriptores. Apponitur in iis quae omissa sunt, et ostendit ea quae ita notata sunt, scribae genuina esse visa. — Exstat asteriscus quater pag. 300.

§. 101.

⊙. Sine dubio antisigma *περιεστιγμενον* quod vocari et ita quoque pingi solet: Ͽ. „Ponitur in iis locis ubi in eodem sensu duplices versus sunt et dubitatur qui potius eligendus sit.“ *Isidorus.* Nimis stricte explicuit, sed in universum vere. Exstat sigla pag. 192, col. 2. pag. 193, col. 2. pag. 364. bis.

+. Septies in nostro observavi. Pagg. 134, 138, 207 (quater) 309 *Epiphanius* l. c. *περι χριστου* explicuit.

>. Istiusmodi uncinuli in Veteris Testamenti locis afferendis adhibentur.

Quae praeterea in inscriptionibus et marginibus occurrunt notulae, item quae in finibus librorum: ornatus causa a librario vagante calamo additae sunt.

§. 102.

Omni de notarum marginalium significationibus quaestione absoluta, restat, ut de aetate, quo additae sint, deque ordine quo sese exceperint, pauca verba fiant.

Cum textu scriptae sunt literae Graecae numerales, quibus capitula insigniuntur. Hoc probatur 1) ex eo, quod eodem plane atramento pictae sunt, quo inscriptiones ipsae, quarum numeros exprimunt; 2) ex eo, quod character literarum a literarum Graecarum in textu ductibus nusquam recedit; 3) ex eo, quod saepissime aliae notulae, inprimis canones Eusebiani et sectiones Euthalianae istis notis numeralibus ita circumdantur, ut serius adiectas esse appareat.

§. 103.

Simul cum textu scriptae sunt literae marginales C. L. R. Z. quae saepissime recurrunt et ubique tam atramenti colore, quam suis ductibus contextus habitum exprimunt, adeoque calami recens apparati iucunditatem. De iis literis, quae aliquoties tantum reperiuntur, nihil affirmare ausus sim.

§. 104.

Longe serius quam *fere* omnia alia canonum et sectionum numeri additi sunt. Probatur id maxime eo, quod fere nullius generis notae exstant, quibus non ita circumdati sint isti numeri, ut quid prius scriptum fuerit, accurate dignoscatur.

De reliquis notis marginalibus in universum pronuntiari nequit. Sunt enim aliquae eorum sine dubio simul cum textu scriptae e. c. *Martianus*, *Boëtius*, fere omnia nomina grammatica; sunt vero etiam, quae ex atramento et ex literarum ductibus serius adiectae sine dubio sunt. Exemplum *Aganon* sit, quod ubique recentiore atramento fulget. Sed longum est, haec accurate coram lectoribus examinare. Itaque in hoc acquiescant, in literarum ductibus nil reperiri, quod ad serius aliquod quam decimum saeculum ducat.

§. 105.

Caput non finiam, nisi *Hugii* sententiam de Boerneriano emendaverim, pronuntiantis, notas marginales *simul omnes* cum contextu scriptas esse. Unde hoc habeat, nescio. Nam Matthaeius quidem non retulit. Sed si retulisset, fidem non haberem, quia in istis rebus Matthaeius parum sagax index existimatur. Eadem plane fortuna noster et Sangallensis usi esse videntur, quare de utriusque notis similiter statuendum esse existimo.

CAP. VII.

DE CODICIS PATRIA ET AETATE.

§. 106.

Haud pauca sunt, quae patriam codicis nostri quaerentem certa via ducere videantur. *Primam* enim totius libri characteres Latini, ut ex comparatione cum *Mabillonii* rerum diplomaticarum lib. V, pag. 351 intelligitur, Anglosaxonici sunt, et omnia scribendi compendia, in versione Latina obvia, consuetudinem Anglosaxonicam referunt. Quae res ad Britanniam patriam, vel quod idem est, ad Hiberniam digitum quasi intendit. *Deinde* Scotici characteres praeclare expressi sunt in nonnullis manuscripti additamentis, quae alio loco accuratius significavimus. Quod alterum indicium ad Hiberniam seu Scotiam *) nos remittit. *Tertio loco* codicum cognatorum patria Scotia ab eruditis putatur.

§. 107.

Hic primus in censum venit *codex Boernerianus*. Reperiuntur in folio eius vicesimo tertio, cuius *facsimile*, quod hodie dicere solent, *Matthaeius* aeri incisum exhibuit, plures lineae in infima ora, dialecto ignota conscriptae, quarum sententiam nemo adhuc explicuit, quas vero eruditi Scoticas esse perhibent. Propius ad Hiberniam seu Scotiam patriam *codex Basileensis psalmorum* Graeco-Latinus ducit, qui saeculi noni esse a Wetstenio **) aliisque ***) perhibetur, et quem *Wetstenius* in prolegomenorum ad N. T. partem II. pagina nona ita descripsit: „*Eiusdem* aetatis atque commatis psalterium Graecum videtur, quod est in bibliotheca Basiliensi, cuius Graeca literis maiusculis et sine accentibus scripta sunt: Latina vero versio supra lineas Graecas charactere Anglosaxonico adscripta est: et quidem in Hibernia, ut colligitur ex hymno adiecto in laudem Brigittae et Patricii: Alta audite *τα εργα* toto mundo micantia Brigittae beatissime in Christo, sancta adepta opima Patricii patrocinia electa, apta alumna Patricii — — — in nostra insola quae vocatur beatissima. Citatur item Caroli M. praeceptor Alcuinus VII. cap. lib. I. de fide catholica.“ *Brigittae*, *Patricii*, insulae beatissimae mentio hic iniecta omnibus viris doctis de eo persuasit, scriptum esse librum in Hibernia, in qua Patricius et Brigitta requiescere dicun-

*) Non possum non monere, per decem priora Christi saecula Scotiam et Hiberniam *unam* insulam, quae hodie *Irland* nominatur, significare, neque hodiernam Scotiam usquam ita apud antiquos nuncupari. Hiberniae incolae Scoti nominabantur. Cf. *Usserii* de Britannic. rerum primordiis cap. XVI, pag. 725 — 733. *Eiusdem* veterum epistolarum Hibernicarum sylloge. Dublinii. 1632 sub finem praefationis: (paginae enim praefationi non sunt adscriptae:) et veterum scriptorum innumeros ferme locos quos in libro prius nominato *Usserius* recensuit.

**) Cf. prolegg. in N. T. edit. Part. I. pag. 134.

***) *Haenel:* catalogus manuscriptt. etc.

tur *), summoque cultu celebrabantur. Ad Hiberniam seu Scotiam alius liber nos ablegat, quem *Montefalconius* in palaeographia Graeca pag. 237 ss. accurate descripsit, et qui ad nostri Boernerianique similitudinem proxime accedit. Scriptus is est a Sedulio quodam Scoto, quem eundem esse suspicantur, cuius *Hepidannus* coenobita Sangallensis in annalibus brevibus rerr. Alamanicc. ad annum DCCCXVIII his verbis meminit: *Sedulius Scottus clarus habetur* **). Itaque et huius hominis patria Scotia erat. Haec omnia efficiunt, ut de huius generis codicum patria conclamatum esse videatur.

§. 108.

Quod nostrum librum proxime attinet quaedam accedunt, quae eius in Hibernia originem ostendere vel saltem probabilem reddere videntur. Referunt enim antiqui coenobii Sangallensis annalistae, a Scottis suo monasterio libros esse dono datos, ita ut facile suspicari liceat, inter illos etiam nostrum fuisse. „Grimaldi temporibus — — Marcus quidam Scotigena episcopus Gallum tamquam compatriotam suum Roma rediens visitat. — — Rogatur episcopus loco nostro aliquamdiu stare — — *libros vero*, aurum et pallia sibi et S. Gallo retinuit" ***).

§. 109.

Tamen his omnibus non adducor, ut librum nostrum ex Hibernia in Alamanniam asportatum esse mihi persuadeam. Sunt potius haud paucae eaeque graves rationes, quae originem Sangallensem defendunt. Liceat rem breviter expendere.

§. 110.

Primum numerus librorum anglosaxonice scriptorum in nostris regionibus tantus est, ut iniri non possit. Bibliothecae Basileensis, Bernensis, Einsiedlensis, Sanctigallensis, Rhenaugiensis, Augiensis, Turicensis etiam haud paucos codices anglosaxonice scriptos vel possederunt, vel possident, aliquae eiusmodi libris refertae sunt. Quamquam igitur bene scio, Alcuinum aliosque ex Hibernia saepius libros sibi iussisse afferri, non tamen in eam sententiam adducor, ut credam, omnes dictarum bibliothecarum libros anglosaxonice scriptos *Hiberniam patriam* habere. Quid enim? Nonne multum ante Caroli M. tempora Scoti Alamanniam docuerunt? (Cf. *Pertz.* monum.

---

*) „In arce Leath-Laidhi sepultus est sanctus pater Patricius et beata Brigida." Cf. *Usserii* Britt. ecclesiarum antiquitates etc. cap. XVII. pag. 888 et locc. ibi citt.

**) Cf. *Goldasti* rerr. Alam. Tom. I. Part. I. pag. 8. et *Duchesne* histor. Francorum scriptores Tom. III. pag. 473. *Duchesne* ex *Goldasto* annales repetivit.

***) Cf. *Ekkehard.* apud *Goldast.* Alam rerr. Tom. I. P. I. pag. 36. et apud *Pertz.* monum. German. hist. Vol. 2. pag. 78 med. et *Mabillon.* Annal. ord. S. Bened. II, 626. *Ildephonsus ab Arx* vir sine dubio eruditissimus, nimis tamen traditionis coenobialis amicus ad hunc locum apud *Pertzium* l. c. adnotavit: Partim Hybernia allati partim in S. Gallo exarati fuere ii codices Scotici, quorum bibliotheca S. Galli saeculo nono viginti numerabat, et adhuc aliquot v. g. quatuor evangelia, illud S. Ioannis, Prisciani grammaticam et plura fragmenta, cuncta saeculo octavo charactere Scotico (Anglosaxonico) scripta possidet. Utinam mihi contingeret, rescire, unde hoc Ildephonsus ab Arx hauserit. Proh dolor! Ne literula quidem significare dignatus est.

Vol. 2. pag. 333). Nonne Caroli tempore praeceptores Scotici evocati, patriae usum in Germania, Gallia et Alamannia propagavisse putandi sunt? Maximo autem in errore versantur, qui *singulos* tantum Scotos in Galliam Germaniam et Alamanniam praeceptores venisse existimant. Catervae enim iam a sexto inde saeculo (Cf. *Pertz.* monum. P. 2. pag. 15) terrae continentis regiones quasi inundarunt. Saeculi noni scriptor, Abbas Augiensis *Walafridus Strabo* *) dicit, nationi Scotorum peregrinandi consuetudinem iam paene in naturam conversam esse, deinde de peregrinatore apud S. Gallum bene habito verba faciens. Ante annum 880 Ericus ad Carolum Calvum: „Quid Hiberniam memorem, contempto pelagi discrimine *paene totam cum grege philosophorum ad litora nostra migrantem*? quorum quisquis peritior est, ultro sibi indicit exsilium“ etc. **). Usque ad saeculum undecimum monachorum Hiberniae eruditorum coloniae in Germaniam migraverunt. Coloniae Agrippinae, Ratisbonae, Herbipoli, Norimbergae, Vindobonae, Pragae aliisque locis coenobia in eorum usum condebantur quorum hodie aliqua exstant ***). Non possum quin hoc loco memorem, etiam haud multum a S. Gallo remotum monasterium Scotorum saeculo nono exstitisse. Diploma, quo Carolus Crassus Scotorum in monte S. Victoris prope Feldkirich situm S. Gallo donavit, datum est anno 883 9. Kal. Oct. anno imp. in Ital. 1. Vide *Ildephons. ab Arx.* in *Pertz.* monum. l. c. pag. 73. adnot. 89. In Lotharingia cum Graecis coniuncti Scoti monasterium condiderunt, in quo cerimoniae Graecae ****). Iucundissimae lectu sunt, simulque vim, quam Scoti illis saeculis in eruditionem universam exseruerint luculentissime docent epistolae, quas Cl. Usserius collegit et a. 1632. Dublinii edidit. Ex his omnibus discimus, fieri omnino non potuisse, quin praeceptorum Scoticorum consuetudines nostrates imbiberent.

§. 111.

Maxime autem in coenobio Sanctigallensi Scoticus mos ritusque obtinuisse videtur. Gloriabantur Sanctigallenses fundatore Scoto atque patrono; Scotos saepissime apud se habebant †). Saeculo nono *Eusebius* Scotigena illic sedem collocaverat ††), *Marcus* Hiberniae episcopus, mansionem fecerat †††), Scotus *Marcellus*, in divinis et humanis eruditissimus, scholis Sangallensibus diu praefuit ††††). Si opus esse videretur de *Clemente*, *Faitano*, *Brendano*, *Dubstano*, *Adamo*, *Davide*, *Melchombero*, *Fortegiano* aliisque monerem, qui omnes de S. Gallo magistri meruerunt. Inde colligitur, omnem S. Galli institutionem scholasticam ad Hiberniae normam esse

*) Cf. libr. de miraculis S. Galli apud *Goldast.* l. c. pag. 275. c. 47. ap. *Pertz.* pag. 30.

**) Cf. *Mabill.* Acta ord. S. Bened. Vol. VII, pag. 326.

***) Cf. *Cramer* Fortsetzung v. *Bossuet* Einleit. in d. Geschichte d. Welt u. d. Religion. Fünfte Forts. pag. 87. *Goldasti* rerr. Al. Tom. III. praef. pag. 6.

****) Cf. *Heeren:* Geschichte des Stud. d. class. Lit. Bd. I. pag. 164 et Histoire litér. de la France. VI, pag. 57.

†) Cf. *Pertz.* Vol. 2. pag. 34.

††) Cf. *Ratpert.* apud *Goldastum* Tom. I. P. I. pag. 32. ap. *Pertz.* pag. 73.

†††) Cf. *Ekkehardi* minoris librum de casibus S. Galli apud *Goldast.* l. c. pag. 36.

††††) Cf. *Ekkehard.* ap. *Goldast.* l. c. pag. 36. ap. *Pertz.* pag. 78.

institutam. Quod etiam ex eo perspicitur, quod per totum nonum decimumque saeculum nullum per Germanias nominari potest monasterium, nulla schola, in qua Graecae literae tractatae sint, solo Sangallensi excepto *).

§. 112.

Hoc igitur certum est, scriptionis characterem solum nullo modo documentum esse, scriptum esse aliquem librum non tam apud Germanos vel Alamannos, quam apud Hibernos. Multitudo enim ipsa codicum anglosaxonice scriptorum probat, in Germania et Alamannia hunc scribendi characterem viguisse. At vero etiam in peculiaribus indiciis, quae Hiberniam demonstrare videntur, expendendis, summa cautio est adhibenda. Ita Scotorum librariorum nomina adiecta nullo modo Scoticam originem demonstrant, et quod magis mireris, ne psalterii quidem Basileensis hymnus in laudem Patricii et Brigittae et insulae beatissimae mentio ibi facta Scotiam patriam assignant. Per se enim credibile est, monachos Hibernos, etiam in externis terris sede fixa, patriae sanctos sanctasque veneratione esse prosecutos, et patriam insulam laudibus celebrasse. Sed doceri etiam potest, Patricii Brigittaeque cultum in multas regiones continentis transisse **) — et cogitari, aliquam Rheni insularum, vel maiorem vel divitem Augiam, verbis „*insola beatissima*“ ostendi. Ex his enim insulis sine dubio episcopus Basileensis hunc librum olim nactus est.

§. 113.

Quae adhuc exposuimus, sufficere videntur ad demonstrandum, indicia patriae modo relata idonea esse, et, nisi alia graviora afferri possint, nunquam fore, ut de hac re certo constet. Itaque quae amplius nacti nobis esse videmur vestigia proponamus.

§. 114.

Quantum explorare licuit, codex quem manibus tenemus ipsa remotissima antiquitate Sancti Galli bibliothecae adscriptus fuit. Indices bibliothecae Sangallensis, nono saeculo exarati, quorum partem *Orellius* meus in epistola ad Madvigium proposuit, indubitata huius libri indicia exhibent. Sed, quod pluris est, in ipso *Ratperti* libro de S. Galli casibus apertissima vestigia nostri libri invenisse mihi videor. Fuit Ratpertus monachus Hartmoto, abbati S. Galli, qui 31. Ianuarii DCCCLXXXIV, diem supremum obiit, aetate suppar. Is Hartmoti administrationem accurate descripsit, et libros tam quos Grimaldi, abbatis canonici vices gerens, quam quos ipse abbas institutus, paravit, enumeravit. Vide *Goldasti* Rerr. Alam. Tom. I. P. 1. pag. 29, 30, 31, 32. *Pertz.* l. c. pag. 70 et pag. 72. Pag. 32. *Goldasti*, pag. 72. *Pertzii* expressis verbis *Evangeliorum volumen unum* enumeratur.

*) Non quidem me latet, quid contra ea quae modo diximus, afferri soleat. Scio fictam esse Caroli epistolam decretalem (Cf. *Thomassin.* Vet. et Nov. eccles. disciplina Tom. IV, pag. 461. Apud *Launoium* aliosque multos, idem monumentum expressum est.) de condenda Osnabrugi literarum Graecarum schola; scio suspicari nonnullos, etiam Coloniae literas Graecas tractatas esse; sed scio etiam haec omnia non posse probari. Traiecti ad Rhenum Graeca uno aliquo tempore praeter consuetudinem magistro Scoto tractabantur, Cf. *Thomassin.* l. c. pag. 473.

**) Cf. *Bolland.* et *Henschel* acta sanctt. mens. Febr.

§. 115.

Si mecum reputo, qua eruditione illo tempore S. Galli coenobium floruerit, non possum, quin statuam nostrum librum sub Hartmoto esse perfectum. Primum enim constat, sub Hartmoto in monasterio S. Galli libris exarandis multum operae esse impensum. Cf. *Ratperti* l. c. Exstabat conclave, solis describendis codicibus destinatum; *scriptorium* *) nominabatur. Cf. *Ekkehard.* iun. apud *Goldast.* l. c. pag. 53. med. *Pertz.* monum. l. c. pag. 95. Acta ord. S. Bened. Vol. VII. fol. 13. Ibi in intervallo laudum nocturno convenire solebant *Tuotilo*, *Ratpertus* et *Notkerus* balbulus, collationesque de scripturis facere. Cf. ll. cc. *Notkerus* epistolas canonicas Graecas, a Liutvardo, Vercellensi episcopo, petitas **) multo sudore exemplavit. Cf. Annal. ord. S. Ben. l. c. pag. 17 et 19 et *Ekkehard.* apud *Goldast.* pag. 59. ap. *Pertz.* p. 101. Ex quo intelligitur, etiam Graecos codices in coenobio S. Galli fuisse, ibidemque recens exaratos esse, quamquam nusquam disertis verbis vel *Ratpertus* vel *Ekkehardus* codicum Graecorum mentionem faciunt. Inde ex eo, quod in Ratperti indice ad „*evangeliorum volumen unum*" non adiectum est Graecorum, non colligitur, Latine scriptum fuisse.

§. 116.

Deinde in Ratperti libro hos versus reperi:

Praemia tantorum, cui dona, Christe, laborum,
Huicque polum tribuas, qui sydera celsa crearas,
Mattheus, Marcus, Lucas pariterque Iohannes
Sint illi comites quorum celebrabat honores ***).

Sunt ii Grimaldi abbatis vitae additi. Sed omnino non valeo expedire, qua ratione cum ista vita contineantur. Grimaldus, abbas, ut supra monui, canonicus, per triginta et unum annos, quibus coenobium S. Galli rexit, vix aliquoties ibi est per paucos dies commoratus. Nusquam vestigium detego, ex quo coniicere valeam, quid Ratpertus vel sub tantis laboribus cogitaverit, vel quam sententiam tertio versui, de quatuor evangelistis agenti, subiecerit. Quare suspicatus sum illico, casu haec verba Grimaldi abbatis vitae adiecta esse, quae Hartmoti proabbatis sub Grimaldo, et deinde abbatis vitam proxime spectent. Namque Hartmotus narratur, impendisse ingentes labores tam felicitati universae monasterii, quam imprimis bibliothecae maximam curam gessisse †), eamque tam Grimaldi vicarius quam serius abbas magnopere locupletasse; narratur

*) In antiquissima S. Galli ichnographia *subtus* bibliothecam reperitur delineatum. *Pertz.* l. c. p. 95.

**) *Semlerus* (in continuatione epitomes *Baumgartenianae* h. e. pag. 94), *Ekkehardum* (ap. *Goldast.* l. c. pag. 59 apud *Pertz.* pag. 101) secutus haec verba recte cepit, dicens, *Notkerum* ab episcopo Vercellensi librum sibi expetivisse, quem deliberet. Perperam Benedictini l. c. verba ita interpretati sunt, quasi precibus Liutvardi commotus Notkerus in eius usum epistolas transcripserit.

***) *Pertzii* secutus sum textus conformationem.

†) „Igitur venerabilis abbas Hartmotus post tantorum, ut supra commemoravimus perfectionem laborum." Verba sunt *Ratperti* apud *Pertz.* pag. 73.

inter multa pretiosissima volumina etiam *evangeliorum unum* patrasse. Huc igitur traho illud Matthaeus Marcus Lucas et Ioannes, quorum celebrabat honores, in coelum ei comites et patroni sint.

§. 117.

Quae si ita sunt cum istis Ratperti codicis nostri versiculi extremi conferri merentur. Mihi enim Ratpertus illos quum suos pangeret ante oculos habuisse, et quod in votis posuerat codicis nostri scriba, ei solemniter fausta oratione imprecatus esse videtur. Nolo totum carmen repetere, cuius et alia loca componi merentur. Repetam tantummodo:

Da bone Christe

— — — — — — — — —

Da dolor absistat, da vitam daque sophiam
Des mihi perpetui, te rogo, regna poli.

Ita de codicis tam patria quam aetate definitum est. Ut ne tamen consueto tramite nimis excedamus, reliqua aetatis indicia enumerare iuvat *).

§. 118.

Primum autem, licet varii librarii opus absolverint, statuendum est, non multum dissito universum opus tempore esse exaratum. Hoc totius scripturae charactere, quantum in diversis manibus esse potest simillimo, pergameni genere, paginarum emensione et ipsa adeo ratione probatur, qua singulae libri partes sibi invicem annectuntur, ita, ut duo vel plures adeo scribae simul in libro exemplando, qua voce vulgo utuntur, occupati fuisse videantur.

§. 119.

Deinde notae marginales respiciendae sunt. De quibus singulis singulari capite accurate. Hic monendum est, Aganonem esse iuniorem omnibus, quorum nomina in marginibus conspiciuntur. Aganone saeculo decimo noster codex assignatur. Namque 941 diem supremum obisse dicitur. Sed supra ostensum est, notas codicis marginales neutiquam uno tempore adiectas esse, et inprimis *aganonis* nomen tam literarum forma quam atramenti colore ad tempus reiici, quod satis quidem a tempore scripti libri abfuerit.

§. 120.

Tum universa scriptura consideranda. In toto libro, exceptis paucis Marci paginis, semel spiritum reperi indicatum, in voce *επτα*. Accentus nusquam, nisi aliqui perverse collocati in Marco, exstant. Docetur, ex libro accentibus et spiritibus carente nostrum esse delibatum. Octavi autem et noni saeculi fere nulli libri reperiuntur, qui accentibus et spiritibus careant. Literae cummaxime rotundae sunt, paullulum tantum ad formam oblongam productae, quae iam octavo saeculo in magno usu erant. Linea *του ϑητα* transversa nusquam extra porrigitur, nusquam

*) Patriae singula indicia in adnotationibus significavi. Vid. pag. 60, 1.

uncinis munitur. Hoc idem de *delta* valet. Nusquam interpunctionis indicia observantur. Namque puncta verba tantum dirimunt. Est autem liber noster ex libro haustus, cuius scriptio continua fuerit, necesse est. Haec universa id effecerunt, ut omnes viri docti, qui vel de Boerneriani vel de nostri codicis aetate adhuc iudicaverunt, nono eum saeculo adscripserint. Sed etiam certius argumentum id exstat, quod psalmorum codex, *Sedulii* nomine subscriptus, ipsa subscriptione ad initium saeculi noni pertinet, qui tamen literarum Graecarum habitu neutiquam remotioris aetatis indicia prae se fert.

§. 121.

Quod modo de Graecis diximus, etiam de Latinis valet. Excepto primo quaternione, quem ad saeculi decimi initium referre placet, omnia nonum saeculum olent. Quod in singulis non sumus probaturi, quum exemplorum collatio aperte doceat.

§. 122.

Quodsi haec cum iis composueris, quae modo de abbate Hartmoto coniecimus — si coniectura nominanda est, quam veritatem apertam ego dixerim — vix antiquitatis librum reperies, qui, scribae nomine destitutus, tam certis temporibus assignari possit. Si opposueris, non bene quadrare, quod, quum plures scribae fuerint, tamen unius nomine Hartmoti subscribatur, non possum quin doleam, quod te fugiat, illo tempore dominis adscribi solitum fuisse, quod famuli servive perfecerant. Quis enim unquam sibi persuaserit, Hartmotum ampla illa omnia volumina sua manu exarasse, quae in *Goldasti* lib. cit. pag. 29, 30, 31, 32., in *Pertzii* monumentis pag. 70, 72. recensentur. Scio equidem ipsius codicis nostri exemplo doctus, huius voluminis librum vix pleno anno assiduo labore periti scribae perfici potuisse. Quid dicam de multis bibliothecae Sangallensis voluminibus, ab uno Hartmoto patratis, cuius tamen curae tota abbatia concredita erat, quique in piis insuper exercitiis desudabat?

§. 123.

Ne tamen istae tuae curae nimis te premant, medicinam tibi paravi sympatheticam, nam solis verbis constat: *Ildephonsus ab Arx* ad *Ratperti* verba „librorum etiam non parvam copiam sub eodem abbate Hartmotus composuit, quorum nomina haec esse scias“ haec adnotavit: Indicem subsequentem Ratpertus ex codice manuscripto n. 267 mutuatus est, ubi hunc titulum praefert: Hos libros patravit Grimoldus abba in monasterio S. Galli in diebus Hludowici regis Germanie cum adiutorio Hartmodi praepositi sui per annos 30 et unum. Cf. *Pertz.* monum. l. c. p. 70. not. 63. Idem *Ildephonsus* ad Ratperti verba „librorum quoque quos ille (Hartmotus) ad communem monasterii utilitatem suo tempore patravit, haec sunt nomina“ haec monuit: Indicem subsequentem Ratpertus ex eodem codice n. 267 descripsit, omisso titulo, qui sic habet: Hos vero libros idem Hartmotus post Grimoldum abba constitutus sub Hludowico supradicto rege et filio eius Karolo imperatore in diebus regiminis sui *fecit conscribi.*

Alio fortasse tempore de omni apud medii aevi monachos codices exarandi consuetudine usuque plura exponam. Hoc loco unum addam, coenobiorum praefectos, omninoque aetatis provectioris et eruditionis conspicuae homines rarissime suis manibus libros exarasse, vel suos vel aliorum, sed dictando patravisse *). Scribas reperi serioribus temporibus ubique ad hoc munus institutos homines; Caroli magni et quae proxime sequebantur temporibus plerumque pueri adultiores in istis operibus elaborabant. Quod fieri rex ipse noluit. Cf. *Thomassini* l. c. pag. 460. *Launoius* de scholl. etc. pag. 8, 9.

§. 124.

Restat, ut de carminibus loquar, in codicis calce collocatis, ex quibus rationes adversae duci posse videantur. Ac primum quidem vel coecus videt, ab alia manu quatuor priores versus exaratos esse, ab alia octodecim posteriores. Sed et argumento distinguuntur. Quatuor priores versus ab eodem homine scripti sunt, qui Ioannem finivit, qui tam hos versus quam reliqua quae praecedunt, inter dictandum calamo excepisse videtur. Ludi magister versus ipsos pepigerit, non parum sua linguae Graecae notitia glorians.

§. 125.

Plane alius generis carmen posterius est. Animus scriptoris, a vanitate artium huius saeculi remotus pietatique deditus, aeterna meditatur, et beata Iesu Christi consortia. Si coniectura uti licet, sua Hartmotus abbas manu carmen posterius adpinxit, reliquo libro per coenobii magistros dictantes et scholasticos absoluto. Ita etiam varietas scripturae universae explanatur. In Sancti enim Galli coenobio iam *Gozberti* priorumque abbatum temporibus (Cf. *Ratpert.* apud *Goldast.* pag. 25. *Ildeph. ab Arx.* in *Pertz.* monum. Germ. histor. Vol. 2. pag. 1.) multum operae multumque sudoris in libris apparandis impensum fuerat.

§. 126.

Valebat illa aetate scriptio mere Scotica, quae litera antiqua non uno loco nominatur. Adultioris aetatis homines novos literarum ductus haud facile addiscunt. Itaque etiam post emendatam Caroli magni studiis scribendi artem, deficientibus magistris antiqua ratio retinebatur. Magistri, quantum valebant, ipsi emendabant discipulos et ita nata est ea scriptura Latina, quam per totum nostrum librum reperimus, Anglosaxonicum characterem dilucide exprimens, sed tamen

*) Non me fugit quod ad singula exempla provocant, qui contrarium docere cupiunt. Sed frustra. Quid enim *Heeren* Alcuini epistolam 38 excitat, cuius in libris exemplandis industriam commendaturus verbis: „desunt mihi scholasticae eruditionis libelli, quos habui in patria per bonam magistri mei industriam, ut etiam mei qualemcunque sudorem:" libros quos iuvenis scripserit significat. Nemo, quaeso, credat, ubi verbum *scribere* usurpatur, de manu scriptione hoc intelligendum. Saepissime de pangendo vel dictando adhibetur. Ita *Ekkehardus* (ap. *Goldast.* p. 49.) *scribendi lingua manuque artificem* memorat; et multa similia.

ab antiquo Scotico charactere aliquantum, inprimis tenuitate literarum recedens. Sed quum iam iuniores hac scriptura uterentur, seniores in antiqua perstiterunt. Explicatur ita, quod antiquior literarum forma in iis locis reperitur, ex quibus colligitur, serius scripta esse haec, quam ea, quae iuniore charactere exstant.

CAP. VIII.

DE CARMINE HILARII PICTAVIENSIS.

§. 127.

De carmine Hilarii nondum, quantum mihi quidem innotuit, edito, quod in codicis fronte vides, idem valet, quod in *Hilarii* editione Benedictina de eius *) in Genesin carmine legitur his verbis:

[„hoc carmen] videtur primus poetae conatus, carmen non tam scribentis quam meditantis, quod ubique foedissimis scatet erratis et in quo vix ullae metri leges observatae, plures versus non absoluti, vix ipsa delibata materies" **).

Iure dubitatur, carmen nostrum Pictaviensis esse. Fere solus enim antiquitatis Christianae hymnologus existimabatur ***). Unde ad illum quae sine nomine reperiebantur carmina, referri consueverunt.

Tironum in gratiam, verba carminis a typothetis repetenda duxi. Sunt autem haec:

Carmen hilarii pictavensis episcopi de evangelio
Christus hic floret decor is fonsque perennis
Hunc postquam verbo conceptum numinis alti
Plena deo virgo utero est enixa pudico
Effulsitque novus terris gaudentibus infans
Protinus implevit totum lux clarior orbem
Desuper astra pios †) inhiant spectantia vultus
Atque decus tuum iam terris invidet aether
At tellus ridens laetatur germine sacro
Spargit humum violis alieno tempore
Aurea purpureos submittit cespite flores

---

*) Si modo *Hilarii Pictaviensis* est. Nam a plerisque ad Arelatensem refertur.

**) Cf. prolegg. cap. de externa libri facie.

***) Cf. *Isidori* de eccl. officc. 1, 6. (Bibl. mag. X. pag. 181. c.) *Flacci Alcuini* de div. officc. (Bibl. mag. X. pag. 278. e.) *Gemma animae* I. LXXXVII. (Bibl. mag. 1205. d.)

†) Signum super *pios* positum significat *vel*. Etiam hic singularem reponere voluisse videtur librarius, ut super *vultus*. Sed hiatus eum retinuisse videtur.

Omnia festa nitent gaudet mare nubila venti
Te solum trepidare metu te perfide serpens
Ille dies aegrum vidit pallente veneno
Quassantemque caput et pectora dira tenentem
Quod salus et *) caelo terris quod tutor adesset
Salvandos populos quaerens a faucibus atris
Ereptamque plagis plebem maestoque ululatu
Prosequeris hominum vitam mundique salutes
Interea et situs exorti nominis alti
Apparet caelo **) et terras lumine complet
Agnovere magi stellam cunasque perquirunt
Munera sacra ferunt myrramque et suavia tura
Tura deum monstrant designat myrra sepulchrum
Salve vera dei proles puer. aethere misso
Non commune genus nec moribus edite nostris
Innuptae matris pignus uterique pudici
Partus et intactae mirandus virginis infans
Quamvis illa pio iactet se homine matrem
Fingentis quandam ventris imitata minores
Ostentetque tuas cunas risuque salutet
Virgo tamen mater et magni coniugis expers
Ignorat causam subolis sed gaudia novit
Tu sacri sermonis opus satis ore paterno
Verbigena dives linguae mirabile germen
Commixtumque genus caeli terraeque potenter
Ut caeli terraeque simul te cura moqeret
Tu virtute leo placidis tu mentibus agnus
Tu sator gladiusque patris tu dextera summi
Vivorum iudex iudex tu luce carentum
Cunctorum genitor solum te dicere natum
Dignatur solum communis cura parentum
Haeres tantorum solus tu iure bonorum
Hunc tu olim dictis variata imagine rerum
Spondebas terris genitor per carmina regum ***)
Perque prophetarum voces per sidera caeli
Per seraphin cherubinque tuum modo pondere fas sit
O celsa secreta poli nam quattuor altum
Circundant solium variis animantia formis
†) Primum hominis facies aliud stat ore ††) leonis
Inde aquilae vitulique caput his omnibus alae

---

*) Superscriptum est *aut e.* Bene.
**) Superscriptum: *aut caelis.* Recte. Metrum pluralem flagitat.
***) Quae supra scriptae sunt literae *dd̄* et *sal̄*; Davidem et Salomonem reges ostendunt.
†) Numeri I, II, III, IV. in margine Cherubin numerum tam hic quam infra in pag. 8. signant.
††) Emendatio *ora* pro *ore* falsa est et inepta; nata esse videtur e perversa lectione praecedentis compendii.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

— — — — — — — — — — — — — — —

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Christus [illegible]
Nomine [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Cunctorum [illegible]
[illegible]
[illegible]
Te [illegible] consona voce canentes
Agie sancte Deus [illegible] sabaoth
Teque genus hominum celebrat sermone frequenti
Te [illegible]
Te [illegible]
Te vent[illegible] murmurat unda

[illegible] Virg. Aen. [illegible]
[illegible] linea transversa deletae sunt.
[illegible] Errore. Nam in carmine saltem nostro
Paginarum numeri [illegible] ideirco tantummodo adieci ut lectorem de singulari hac re
[illegible] in pag. S. reperiuntur.
commonefacerem. [illegible] Marchaeus l. c. se explicare posse negavit. Est [illegible]
Item signum quod hic in margine conspicis, [illegible]
Cf. quae in prolegg. dicta sunt.
[illegible] error librarii esse videtur. Recte [illegible] additum inter lineas.
[illegible] alio loco hanc vocem reperi.

[illegible] Cod. Sangall.

Sacrorum ritu vario templisque dicatis
In nemore incluso sculptis de marmore templis
Aere cavo positis signis picturaque inani
Te gentes populique colunt tibi vota precesque
Suscipiunt nomenque tuum nomenque requirunt
Ac velut in tenebris errat cui lumen ademptum
Sentit adesse hominem qui sit ubi denique sistat
Nescit et ignarus per inania brachia iactat
Prendere si possit tactumque adsistere saltem
Non aliter gentes caecis erroribus actae
Ante oculos positum quaerunt sed lumine cassae
Transsiliunt ipsum quem quaerunt ludicra captant
Effigiesque locant varias et nomina mille
Imponunt uni si possit adesse vocatus
Illos culpa premit gravior quibus adstetit ipse
Ante oculos doctor verus quibus ore locutus
Quos prece quos dictis monuit quos denique factis
Nec videre tamen caeci cum lumen adesset *)
Per populos clarum factis celebrans genitorem
Namque iacebat humo pallenti marcidus ore
Cui inerat morbis corpus compage solutum
Viventisque animae dudum iam mortua membra
Surge ait atque tui iam lecti baiulus esto
Exilit atque alacer humeris vehit ipse cubile
Ecce trahebatur caecus quem lumine mater **)
Ediderat viduum communis lucis egentem
Non totum natum mundi quia parte carebat
Ut vidit miseratus ait. hunc cernere iussi
Protinus ad caelum caecus nova lumina tollit.

*) Ad marginem librarius legi voluit *deipara.*
**). Ad marginem titulum *de caeco nato* scriptum deprehendis.

Corrigenda.

Pag.	IV. lin.	1.	pro	oplimarum	leg.	*optimarum.*
-	VI. -	13.	-	lanta	-	*tanta.*
-	- -	23.	-	tibraria	-	*libraria.*
-	VII. -	23.	-	interlineas	-	*inter lineas.*
-	IX. -	10.	-	quo	-	*qua.*
-	X. -	23.	-	indies	-	*in dies.*
-	XIV. -	15.	-	exsecato	-	*exsecto.*

xp̄ 1.

Carmen hilarii p̄: tauensis epi de euangelio
Xp̄s hic flos ... coris sonat ... pennis
hunc p̄q; uerbo conceptū numinis alti
plena dō uirgo utero gestauit pudico
effulsitq; nouus terris gaudentib; i fans
protinus impleuit totum lux clarior orbem
Desup astra pios inuitant spectare tum mutus
atq; decus tm̄ la terris inuidet aether
at tellus ridens laetat germine sacro
Spargit humū uiolis alieno tēpore q̄tq;
aurea purpureas submittit cespite flores
Omnia serta nitent gaudet madre nubila uerna
Te solū trepidare metu te ppi de serpens
Ille dies egrū uidit pallente ueneno
quassantemq; caput et pectora dira tenentē
quod salus et celo terris qd tutor adeēt
saluandos populos q̄rens a fauib; atris
erepta plagis plebē metu q; ululatu
prosequitis hōum uita mu... liq; salutes
Interea sidus exortū numinis alti
apparet celo et terras lumine complet
agnouere magi stella cundaq; secuti
munera sacra ferēt myrrāq; et ... ia ... tura
Tura dum monstrant deu regnat myrra sepulcr
Salue uera dī ples puer. aethere misso
n̄ comune genus nec mortal us et terreni
Innuptę matris pignus uteri ... pudici

Partus et intacte miranda uirginis infans
quamq· illa pio lactat te nomine matrem
Ingenitis pandat uentris lineata minores
Orte meq· tuae cunas ritusq· salutet
Uirgo tu mater magni coniugis expers
Ignorat causam subolis sed gaudia nouit
Insignem hunc codicem, quod singularem ipsius cum optimis et probatissimis exemplaribus convenientiam observarem, bis, omni diligentia et intentione contuli. Ubi enim a recepto evangeliorum textu recedit, plerumque codicibus Vaticano 1209, Cantabrigiensi, Stephani octavo et Leicestriensi se adiungit. Dignum quoque quod adnotetur, nostrum in multis consentire cum codice Reuchlini, (Wetstenii 1.) qui in usus Imperatoris Leonis sapientis et filii Constantini scriptus est, atque ambo hos codices quoad numerum foliorum, interpungendi signa, et reliquum ornatum, pari ratione et elegantia exaratos esse. His adde consonantiam nostri cum versione Syra philoxen., Syra veteri, Hierosolymitana et codice Graeco evangeliorum comitis de Winchelsea, (a Wetstenio signatur nota 106.) ut et singulares lectiones, in nostro obuias, quae solo Patrum testimonio nituntur. Singula horum exempla ponamus! Matth. VI, 13. doxologia ita legitur: *και η δοξα του πατρος, και του υιου, και του αγιου πνευματος, εις τους αιωνας*. Notatu dignum est, licet noster solus ex omnibus codd. haec ita exprimat, documenta non deesse, iam quarto saeculo doxologiam in ecclesiis Christianorum iisdem verbis recitatam fuisse, ut refert Caesarius Dial. III. Qu. 116. Matth. VIII, 9. sequenti modo interpungit, *και γαρ εγω ανθρωπος ειμι, υπ εξουσιαν εχων υπ εμαυτον στρατιωτας*. Sic etiam iungunt Irenaeus Libr. III. cap. 1. Codex Wetstenii 72. et Versio Gothica. In Versione Syra Hierosolymitana desunt verba *υπο εξουσιαν*, quorum omissione idem commatis sensus efficitur, quem codices alia interpungendi ratione assecuti sunt. XIV, 13. legit *πεζοι* cum codice L, Syra phil. et codd. antiquis latt. Veron. Brix. San-Germ. XXVII, 9. deest vox *ιερεμιου*, quae etiam in solo codice Wetstenii 33. omittitur. Hieronymus de conf. Evang. III, 7. iam monuit, non omnes codices habere nomen Hieremiae, atque his potius credendum, quam iis, qui Hieremiae nomen exprimant. XXVII, 28. *και ενδυσαντες αυτον ιματιον πορφυρουν*. Sic ex Graecis codd. solus D habet. Luc. IV, 44. *ιουδαιας* pro recepto *γαλιλαιας*, assentientibus C. L. 1. 71. 106. Syra philox. in margine. VI, 48. *δια το καλως οικοδομεισθαι αυτην*. Sic etiam L. 33. et Syra phil. in margine. IX, 10. desunt verba *πολεως καλουμενης βηθσαιδα*, quae etiam omittuntur in codice Leicestriensi. XV, 6. Addit: *λεγω υμιν οτι χαιρει επ αυτω μαλλον*. Ita quoque codex 106. et Syra phil. v. 8. *εχουσα δεκα δραγμας, και απολεσασα μιαν*. Sic et codex D. XVI, 12. singularis occurrit lectio *το ΕΜΟΝ τις υμιν δωσει;* ubi omnes habent *το υμετερον τις υμιν δωσει;* neque tamen sine praesidio invenitur *το εμον*, cum Tertullianus Libr. IV. contra Marcionem cap. 33. pag. 522. Ed. Col. legat: *quod meum est quis dabit vobis?* XVII, 23. absunt verba *μηδε διωξητε*, quae in Syra vet. quoque omittuntur. XIX, 38. Addit: *ευλογημενος ο βασιλευς ισραηλ*, cum cod. D et Syra philox. quae haec habet cum asterisco. v. 47. *και οι πρεσβυτεροι του λαου εζητουν αυτον απολεσαι*. Sic quoque Origenes, D, Vers. Syra vet. et philox. XXI, 30. *οτι προβαλωσιν τον καρπον αυτων ηδη*. Ita etiam D et Versio Syra phil. in margine. v. 36. Deest

pag. 48. lin. 4. *paseribus.* *στρουθιων.* Ita. — *διαφερετε.* Versionem lege: *meliores vel praecellitis vos. Vel praecellitis* serius additum est.

pag. 48. lin. 9. *δικασαι.* Ita.

pag. 48. lin. 13. Post *η* rasura.

pag. 48. lin. 14. *sequatur.* Ita.

pag. 48. lin. penult. *ψυχρουμενον.* Non versum.

pag. 49. lin. 5. Post *ακουσας* rasura.

pag. 49. lin. 9. *ανεβλεπουσιν.* Ita.

pag. 49. lin. 16. Post *ιδου* litura.

pag. 49. lin. penult. *viam* fere ita pictum est, ut *mari* legatur.

pag. 49. lin. ult. *surrexit.* Prius *r*, ut saepe, fere ad formam *n* accedit.

pag. 50. lin. 6. *προφητευσαν.* Ita.

pag. 50. lin. 7. *ο μελλων ερχεσθαι.* Mire versum: *qui venturus veniet.* In animo habuit: *qui venturus est vel veniet.*

pag. 50. lin. 12. *μητεσθιων.* Ita.

pag. 50. lin. 18. Super *εγενοντο* lege: *factae fuissent.* Primum *sunt* scriptum fuit.

pag. 51. lin. 2. *forte* (vid. ad 49. ult.) *mansissent usque hodie.* Haec verba atriore colore addita sunt.

pag. 51. lin. 7. Super *ναι* lege: *utique vel etiam.*

pag. 51. lin. 10. *εανβουληται.* Versio deest. — Post hanc lineam in margine inter *C* et *X* rasura.

pag. 52. lin. 4. *βεβηλωσιν.* Ita. In hac pagina deprehendisse mihi videor vestigia superinducti super prima pallidaque scriptura atramenti novi. Saepissime hoc ita factum est, ut eiusdem literulae ductus tenuiores intacti relinquerentur, itemque versio Latina; sed crassiores lineae renovarentur. At vero in multis locis utrum hoc sit, an revera principalis scriptura restet, discerni nequit. Chartae enim laevitate factum est, ut atramentum in illis locis, in quibus lineae crassiores ducerentur, conflueret, a lineis vero tenuioribus recederet. Quare atramentum, ubi crassius adest, nigrum apparet; ubi tenuius, fuscum adeoque flavum.

pag. 52. lin. 7. *καταδικασατε.* Ita.

pag. 52. lin. 10. *η.* Ita.

pag. 52. lin. 12. *αυτου.* Non versum.

παντα ut in Syra vet. XXII, 4. *στρατηγοις του ιερου,* Sic C. 37. 106. Syra vet. Syra phil. v. 47. *και ιουδας ο καλουμενος ισκαριωτης προηγεν αυτους.* Sic D. 1. Syra vet. XXII, 51. solus habet *και αψαμενος του πληγεντος, και το ους αφηρημενον ιασατο.* Joh. V, 3. verba *εκδεχομενων την του υδατος κινησιν* una cum commate sequenti, desunt in nostro (quod accurate cernitur in specimine aeri inciso) et in C. D. 33. In aliis codicibus, haec asteriscis vel obelis ut dubia notantur. (Conferatur hic specimen codicis Vat. 354. in eadem tabula.) Joh. VI, 39. omittitur. Deest etiam in Syra philox. a prima manu. A Joh. VII, 53. — VIII, 11. omnia desunt. Joh. XII, 43. legit *υπερ* cum codd. 1 et 69. XX, 1. *εκ της θυρας του μνημειου.* Sic etiam codex 1. Plura exempla hic proferre supervacuum duco, quod ex iam allatis, cum codicis indoles, tum ipsius cum probatioribus genuinae lectionis fontibus consensus, abunde satis aestimari possit.

pag. 52. lin. 14. In *εαν* inter *α* et *ν* litura. In eadem linea *βοθυνον* non versum.

pag. 53. lin. 1. *ποιησουσιν.* Ita.

pag. 53. lin. 6. *συντετριμμεν.* Ita. Ut supra docuimus Graeca et Latina eo ordine scripta sunt, ut singulis Graecis verbis Latina superponerentur. Si hoc est, errore huius lineae suspicio movetur, dictando librarium codicem excepisse. *ον* in fine *συντετριμμενον* omissum esse videtur, quia Latinum *non* sequebatur. Ita cogito. Quum pronuntiatum esset *συντετριμμενον* et deinde adiectum *ου non*, librarius, dictantem iam ante *ου* ad Latinum *non* aberrasse opinatus, prius *ον* omisit. Tamen etiam non oppugnantem me habebis, si dixeris, ipsum librarium, inter repetendum singulas syllabas, haec confudisse.

pag. 53. lin. 10. *ita.* Post hoc voc. *ut* deest. Nec reliqua apta. In eadem linea in voce *κωφος* — *ω* ita pictum est in codice ut hic conspicis. *O* in *Ω* mutatum.

pag. 53. lin. 14. In Graeco *βεελζεβουλ* in Latino *beelzebub.*

pag. 53. lin. 17. Post *partitur* lege *divisus est.*

pag. 53. lin. 19. Extrema vocis *daemonia* litera vere ita picta

pag. 54. lin. 1. *ισχυρου.* Ita.

pag. 54. lin. 3. Post *est* additum *par.* Cf. ad p. 22. lin. 4.

pag. 54. lin. 16. Super *εκβαλλει* librarius additurus fuisse videtur *eicit* (v. lin. 17.); sed neglexit.

pag. 54. lin. 20. *iustificaveris* pro *iustificaberis.*

pag. 54. lin. 21. *condemnaveris* pro *condemnaberis.*

pag. 55. lin. 8. *αυτης.* Ita.

pag. 55. lin. 12. *περατων.* Ita. Eadem linea *σολομωντος* superscripto *salemonis*; sequente vero linea *σολομωνος* superscripto *salomone.*

pag. 55. lin. 13. Tria punctula, quae super *plusquam* conspiciuntur, sunt reliquiae literarum *sa* ex sequente *salomone.* *quam* in *plusquam* in litura scriptum est.

pag. 55. lin. 17. Legas: *scopis vel scopatam.*

pag. 56. lin. 2. *tua.* Ita initio. Deinde *i* loco *a* positum.

pag. 56. lin. 3. 4. *η μητηρ μου* errore bis exaratum.

pag. 56. lin. 7. Etiam in hac pagina usque ad hunc versum literis novus color superinductus. Quod etiam in sequentibus aliquoties factum est. Non tamen amplius monebimus. Namque ab hac inde linea pallidissimo atramento omnia scripta sunt usque ad pag. 69.

pag. 56. lin. 11. *αιγιλλον.* Ita.

pag. 56. lin. 14. *αυτον.* Non versum.

pag. 56. lin. 22. *εξηκοντα.* Sub *N* punctum. Nescio quo casu.

pag. 57. lin. 2. *H* in voce *μυστηρια* ex sigma diductum.

pag. 57. lin. 7. Duo puncta sub *ο* in voce *προφητεια* non intelligo.

pag. 57. lin. 16. *επεθυμησαν.* Ita.

pag. 58. lin. 4. usque ad nonam, a voce *ουτος* usque ad *αλλην* omnia, tam Graeca quam Latina alio colore et alio calamo exarata.

pag. 58. lin. 13. *αναμεσοντες*. Syllaba *τες* sine dubio errore.

pag. 58. lin. 15. *εφυμη*. Ita.

pag. 58. lin. 21. Tam ante quam post *crescere* litura. Literae non dignoscuntur.

pag 59. lin. 7. *αιξηθη*. Ita.

pag. 59. lin. 9. *est* post *simile* bis scriptum; prius per solenne compendium, posterius literis usitatis.

pag. 59. lin. 11. *hec*. Ita saepe.

pag. 59. lin. 12. Super *ουδεν* legas *non vel nihil.*

pag. 59. lin. 16. Super *αφεις* primum *d*, deinde *dimittens*. Namque librarius, intellecto, Graecas et Romanas literas, si ita ut inceperat pergeret, confusum iri, voci *dimittens* altiorem locum elegit.

pag. 60. lin. 1. *αγρος* hoc loco natum esse videtur ex perperam intellecto sono nominis *εχθρος*. In Helvetiae regionibus hodieque pronuntiant *Taller* pro *Teller*, *Watter* pro *Wetter* et multa similia. Item ibidem *γ* et *κ* tam affini sono efferuntur, ut in multis vocibus vix distinguas. Insuper liquida *ρ* eo quo hic posita est loco, ob soni mollitudinem facile audientibus evanescebat. Jam alterum exemplum, quo verisimile redditur, nostrum codicem inter dictandum scriptum esse. Simulque hunc locum inter ea retulerim, ex quibus colligitur, librum nostrum in Helvetiae regionibus scriptum videri, vel saltem in propinquitate. Caeterum librarius vocem punctulis transfigere oblitus est.

pag. 60. lin. 6. *εκ τη*. Ita.

pag. 60. lin. 9. *βρυτμος*. Ita.

pag. 60. lin. 12. *εν* non versum.

pag. 60. lin. 17. *ευγων*. Ita.

pag. 60. lin. 18. Initio scriptum fuit *abiit*, quod deinde in *abiens* mutatum est. Inde docetur, ad vulgarem versionem initio librarium respexisse, deinde ad Graeca eum sua adaptasse. — Eadem linea initio scriptum fuit *vendere*, quod post, deleta syllaba extrema, in *vendidit* mutatum est. Illum infinitivum neque in *Sabatierii* neque in *Blanchini* neque in *Maii* Ita'a reperi.

pag. 60. lin. 21. Lege: *in vel super vel secus.*

pag. 61. lin. 1. *της*. Ita; ob sequens sigma.

pag. 61. lin. 4. *hec*. Ita.

pag. 61. lin. 19. *erode*. Ita lin. 23. aliis.

pag. 61. lin. 20. *τετρααρχης*. Ita.

pag. 61. lin. 20. *ακοιν*. Ita pro *ακοην*.

pag. 62. lin. 4. 5. *αγομενων*. Non est versum.

pag. 62. lin. 4. *εχον*. Ita pro *εὶχον*.

pag. 62. lin. 11. *ανκειμενους*. Ita.

pag. 62. lin. 14. Ab hac inde linea librarius tam in Graecis quam in Romanis pallidiore atramento usus est.

pag 62. lin. 18. *πολυ*. Ita.

pag. 62. lin. 19. *εσπαγχνισθη*. Ita.

pag. 62. lin. 19. *θεραπευσεν*. Ita.

pag. 63. lin. 5. *λαμβων*. Ita. Ead. lin. *ανακαιθηναι*.

pag. 63. lin. 10. Quid lineola, a qua hic versus incipit, significet, nescio, nisi est aberratio calami, initium literae *μ*.

pag. 64. lin. 2. *περιπατησεν*. Ita.

pag. 64. lin. 2. Super *δε* lege *vero vel verum.*

pag. 64. lin. 6. Lege: *in quid vel quare.*

pag. 64. lin. 9. *gennesar*. Ita.

pag. 64. lin. 11. *προσημεγκαν*. Ita.

pag. 64. lin. 12. Lege: *ut tantum vel solum.*

pag. 64. lin. 13. *tetegerunt*. Ita.

pag. 64. lin. 14. Super *παραβασεως* vox est deleta. Sed vestigia literarum cognoscuntur, quod punctulis significavimus.

pag. 64. lin. 22. In voce *consummabitur* literae *b* superior ductus fere exstinctus est. In eadem linea reperis errore *κακαλογων*.

pag. 65. lin. 3. *προφητευσεν*. Ita.

pag. 65. lin. 4. *εγγιζειμοι*. Non versum.

pag. 65. lin. 17. *αυτην*. Ita.

pag. 65. lin. 18 *εισπορευμενον*. Ita.

pag. 65. lin. 19. *αφρεδωνα*. Ita.

pag. 66. lin. 2. *ιυpi*. Ita. Nam ad Graecum *ρ* librarius aberravit.

pag. 66. lin. 4. *εξελθυσα*. Ita.

pag. 66. lin. 5. *εκραυαγασεν*. Ita. *A* in *filia* ita.

pag. 66. lin. 6. Lege: *daemonizatur vel daemonio vexatur.*

pag. 66. lin. 8. Litera *i* in *ipse* fere punctulo similis est. *απολησον*. Ita.

pag. 66. lin. 9. Post *nisi* rasura. Literarum vestigia non dignosco.

pag. 66. lin. 13. *pat*. deletum quid sibi velit, non perspicio. Legi aliter nequit, quam *pater*. Quare coniicio librarium, eorum locorum memorem, in quibus pater prospicere vilissimis animantibus dicitur, ita aberrasse.

pag. 67. lin. 5. Super *ημεραι* litura. Nisi fallor *triduo* scripturus librarius, consilio mutato *dies tres* praemisit.

pag. 67. lin. 8. Haud saepe id redit, ut librarius, variantem lectionem textus Graeci indicaturus, *vel* praemittat, quod super *ερημιαι* factum est, addito *vel ω*, i. e. *vel ερημιω*.

pag. 67. lin. 10. Initio *pisces* scriptum fuerat, quod deinde ab eadem manu in *pisciculos* mutatum est.

pag. 67. lin. 12. *gratias agens*. Haec verba pallido atramento adiecta sunt.

pag. 68. lin. 1. *τυγναζων*. Ita pro *στυγναζων*.

pag. 68. lin. 11. *οειτε*. *N του νοειτε* ad praecedentia traxit. Itaque *οειτε* ad *οιεσθαι* retulisse videtur librarius. Idem vitium etiam aliis locis, e. c. lin. 14., recurrit.

pag. 68. lin. 11. In voce *μνημονευετε* ab *υ* vix *τ* dignoscitur.

pag. 68. lin. 22. *ειπον*. Ita pro *ειπον*.

pag. 68. lin. ult. Huius lineae lacuna nullum rasurae vestigium prodit. Itaque consulto spatium vacuum relictum est. Sed quum in omnibus codicibus adhuc collatis ne vestigium quidem variationis in hoc loco repertum sit, plane non auguror, quem in finem hoc spatium a librario relictum sit.

pag. 69. lin. 6. ταυτην τη πετρα. Ita.

pag. 69. lin. 12. *a tunc*. Recentiore manu.

pag. 70. lin. 9. Post *quidam* uno calami ductu eodemque atramento legitur *vel ωδι hic*. Docetur inde, Graeca et Latina simul scripta esse.

pag. 70. lin. 14. μετεμορϕθη. Ita.

pag. 70. lin. 18. Super Graeco εστιν Latinis literis *estin* et *est*, posterius vulgari compendio, repetitur. Currente negligentius calamo hoc factum esse videtur.

pag. 71. lin. 8. λεγουσιν. Ita.

pag. 71. lin. 10. λεγο. Ita.

pag. 71. lin. 17. ηικται. Ita.

pag. 72. lin. 10. Litera Latina *d*, inter Graeca γαλιλαια et ειπεν, ostendit librarium *dixit* scribere voluisse, sed sese recollegisse et ad Graeca, ut decebat, revertisse. Argumentum, Graeca et Latina simul scripta esse.

pag. 73. lin. 10. παιδιον. Ita.

pag. 73. lin. 15. πιστευον τον. Ita.

pag. 74. lin. 6. ουρανους. Ita. Cf. infra lin. 16.

pag. 74. lin. 12. πλανωμενον. Fere ita pictum est, ut πλαναμενον legi possit. Caeterum ο et ω confusa.

pag. 75. lin. 2. και. Non versum.

pag. 75. lin. 8. εμο νομα. Ita. Istiusmodi errores in omnibus libris antiquis saepissime recurrunt. Vide quae de hac re olim a me in ephemeridibus literariis Jenensibus a. 1828. mens. Dec. in censura Novae collectionis Vaticanae ab *Angelo Maio* apparatae dicta sunt.

pag. 75. lin. 12. *septies*. Alio, recentiori, atramento scriptum.

pag. 76. lin. 12. *quo*. In rasura scriptum.

pag. 76. lin. 16. αφητε. In rasura scriptum.

pag. 76. lin. 17. *delicta*. Recentiore tam manu quam atramento. Caeterum paginae 76 et 77 luteis maculis amplissimis deformatae. Oleo natae esse videntur. Tamen aversae paginae nitidissime splendent.

pag. 77. lin. 15. In hac linea receditur ab ea quam fere per totum librum nostrum observamus consuetudine. Namque in vocibus *fornicatione* et *vel duxerit*, literae Latinae ad sequentia vocabula Graeca non solum pertingunt, sed super ea etiam extenduntur. Quantum ad hunc usque locum animadverti, longiore verbo Latino superscripto in Graecis spatia relinquebantur.

pag. 78. lin. 3. και προςευξηται. Non versum.

pag. 78. lin. 14. τον. Bis scriptum.

pag. 79. lin. 10. In voce *sequentes* spatium vacuum animadvertis. Quod literarum deest, macula lutei coloris deletum est.

pag. 80. lin. 1. εστωννας. Ita.

pag. 80. lin. 4. εποησεν. Non vertit.

pag. 80. lin. 8. *vel ite*. Alia manu et alio atramento scriptum.

pag. 80. lin. 9. *accipietis*. Alia manu et alio atramento.

pag. 81. lin. 17. υμων σου. Posterius non versum est. Sed ex sententia librarii etiam υμων non versum est. Nam *sinistris* ad ευων ipsi tantummodo pertinere videbatur. In eodem vocabulo idem error infra pag. 173. lin. 1. redit.

pag. 81. lin. 19. *aut baptisma*, et lin. 20. *baptizabor*, *baptizabimini*, *vel baptizari*, serius pallido atramento et alia manu addita, et seriori tempore ater color denuo superinductus est.

pag. 81. lin. ult. *b* vocis *baptismum* atro colore renovatum, ut et *o* quod supra *quod* reperis.

pag. 82. lin. 1. Quod modo de paginae praecedentis lin. 19 et 20 notavi, etiam de vocibus *baptizabor* et *baptizabimini* in hac linea valet.

pag. 83. lin. 6. Rasura. Ex praecedente linea in Latine scribendo perrexerat, et ultimam syllabam verbi *dixerit* in hac linea collocaverat, quod literarum vestigia produnt. Novum argumentum eius rei de qua ad p. 70, 9. 72, 10. locuti sumus.

pag. 83. lin. 9. Post *filiae* adiicitur *dativus*. Cf. quae ad p. 22, 4. 24, 10. 26, 18. monuimus.

pag. 83. lin. 10. επιβεβηκως. Non est versum.

pag. 84. lin. 10. και. Accurate ita pictum.

pag. 84. lin. 13. Lege: *forte vel forsan*.

pag. 84. lin. 14. *et*. Accurate ita.

pag. 85. lin. 1. *arefacta*. *E* accurate ita.

pag. 85. lin. 3. *habueritis*. Adverte singularem του *r* formam, quae deinceps aliquoties, in fine Lucae et in Ioanne saepissime revertitur.

pag. 85. lin. 5. αρθητι και βληθητι. Non versa.

pag. 85. lin. 10. Adverte singulare scribendi compendium in voce *sacerdotum*, quod deficiente spatio in usum vocatum esse videtur.

pag. 85. lin. 12. Adverte, quomodo Priscianus vapulet.

pag. 85. lin. 16. οδε versum est: *at illi*. Itaque patet, non ex suo librarium vertisse. Nam aut *ille* scripsisset, aut ι in οδε adiecisset.

pag. 85. lin. ult. *d*. Ita. Idem saepe redit.

pag. 86. lin. 2. πωω. Ita. Cf. pag. 183, 11. *u* pro *ut* 182, 25.

pag. 86. lin. 5. ειπεν. Non versum.

pag. 86. lin. 6. Quid lacuna post εγω sibi velit, non accurate intelligo. Quum tamen in margine huius lineae rasuram deprehendam, et literae γ ut et compendii *deest* vestigia dignoscere mihi videar, coniicio, librarium initio hoc loco quaedam desiderasse, fortasse: θελω; serius autem, in consilium advocatis aliis libris, errorem intellexisse et iccirco etiam notam marginalem γραφε et *deest* delevisse.

pag. 86. lin. 17. *adpropinquasset* et ηγγισεν alia manu alioque atramento.

pag. 86. lin. ult. Lacuna. Relicta est, quia linea vocabulum non capiebat. Non autem consueverunt illius aetatis librarii in diversas paginas eiusdem vocabuli syllabas transferre.

pag. 87. lin. 13. εγενετο αυτη. Non versum.

pag. 87. lin. 21. επειδη. Non versum.

pag. 88. lin. 8. *τεθυμενα*. Non versum.

pag. 88. lin. 11. *υβρισαν*. Non versum.

pag. 89. lin. 5. *εξωτερον*. Accurate ita pictum.

pag. 89. lin. 9. *κατauτου*. Non versum.

pag. 89. lin. 15. Quod in margine vides *κηνσον* pallido atramento serius additum. Item lineola cum puncto post *licet* et *i* super *dare*.

pag. 89. lin. 16. Reliqua pagina calamo recens adparato scripta. In eadem linea vox Iesus tam Graece quam Latine bis scripta.

pag. 89. lin. 18. *vel ad* post *at illi* pallidiore quam reliqua colore scriptum.

pag. 89. lin. 20. Sub voce *λεγει* punctum. Casu ortum videtur.

pag. 90. lin. 20. *Ιακωβ*. Latinis literis non expressum.

pag. 91. lin. 2. fin. Lege: *vel in id ipsum*; quod tamen serius adiectum est. Eadem linea vox *σαδδουκαιους* accurate ita scriptum est.

pag. 91. lin. 4. *legis*. Accurate ut vides in codice pictum.

pag. 91. lin. 5. *ποια*. Sine versione. Eadem linea legas: *maximum vel magnum*. Similia saepe. Non enim curat librarius accurate, quae literae praecesserint, sed in universum radicem intueri videtur.

pag. 91. lin. 11. *pendet*. Ita.

pag. 91. lin. 18. *δεξων*. Ita.

pag. 91. lin. 20. *δυνατο*. Ita.

pag. 92. lin. 1. Supra initium primae lineae rasura. Vestigia literarum *απαx* accurate distinguuntur. Inde patet, lituram factam esse, ut margo amplior relinqueretur.

pag. 92. lin. 2. *die*. Antea *dies* fuerat. Vestigia cognoscuntur in litura.

pag. 92. lin. 10. *movere*. Serius alia manu alioque colore.

pag. 92. lin. 12. Lacuna nullum vel spongii vel cultelli vestigium ostendit. Sed quia charta aversa attrita est, atramentum pellucet. Hoc impedivit quominus hoc spatium librarius impleret.

pag. 92. lin. 14. In verbo *και* seqq. calamo recens acuto scriba usus est.

pag. 92. lin. 15. Spatium vacuum inter *εν* et *ταις*; quod eadem de causa relictum est, quam modo ad lineam 12. exposuimus. — Restat, ut addam, vocem *salutationes* huius versus recenti calamo scriptam videri.

pag. 92. lin. 18. De spatio vacuo vide, quae ad lin. 12 et 15. diximus.

pag. 92. lin. 20. Spatium relictum est, quod aptius videbatur, nova sententia novam paginam auspicari.

pag. 93. lin. 5. *φαρισαιοι*. Ita. Sed lineolam, quae *ο* et *σ* distinguit, scriba delere voluit. Quod non contigit.

pag. 93. lin. 6. 7. 17. 21. Vocibus *κατεσθιετε*, *ληψεσθε*, *οφιλει* et *οφειλειν* non addita est versio. Maxime miratus sum, quod in singulis paginis bis ter quaterve Latina translatio deest, quum in multis aliis foliis ne syllaba quidem Latina desit. Facit hoc, ut quae in prolegomenis monita sunt, magis mihi probentur. Namque interdum ad manum habuisse videtur librarius Latinam versionem, interdum ea caruisse. Lacunae ortae sunt quum versione careret.

pag. 93. lin. 9. *coram vel ante* } recens apparato calamo scripta.
pag. 93. lin. 10. *vel homines* }

pag. 94. lin. 6. Super *θρονω* et *θεου* plane ita ut exprimi curavimus. Prius legendum videtur: *in sedem vel thronum*; posterius: *dei*. Namque *d* quod praecedit errore calami prodiisse videtur.

pag. 94. lin. 13. *amittere*. Ita.

pag. 95. lin. 2. *deforis*. Ita.

pag. 95. lin. 3. Pronuntiatio erronea vocis *παροψις* vitia genuisse videtur. Romana versio *purabsis* in nostro codice aliquoties redit.

pag. 95. lin. 6. *id quod*. Serius adiectum.

pag. 95. lin. 9. Nisi fallor *ωραιοι* alio calamo additum est.

pag. 95. lin. 11. *spurcitia vel immunditia* tenuiore calamo exarata.

pag. 96. lin. 2. *testimonium estis vobismet ipsis*. Serius acutiore calamo additum.

pag. 96. lin. 4. Supra *οφεις* accurate ut pingi curavimus scriptum est.

pag. 96. lin. 6. Ante *ego* rasura. Vestigia literae deletae non discerno.

pag. 96. lin. 11. Compendia vocis *super* varia. (Vide lin. seq.) Eadem linea verba *ut vel quomodo veniat* acutiore calamo scripta. Item *qui effusus est*.

pag. 96. lin. 12. *Αβελ*. Non versum.

pag. 96 lin. 13. Rasura in medio nomine *ζαχαριου*. Vestigia Latinarum literarum *cha* discernuntur.

pag. 97. lin. 7. Super *r* punctum triangulare delendum erat, quia non atramento sed colore violaceo pictum est. Sed color non bene distinguitur. Unde factum est, ut scriba, quo utor, hoc signum in picturam suam transferret. Equidem h. l. esse sum passus.

pag. 97. lin. 8. *de consummatione* .|. *saeculi*. Haec acutiore calamo scripta.

pag. 97. lin. 10. *επι*. Accurate ut vides.

pag. 97. lin. 12. *ωδε*. Non versum.

pag. 97. lin. 13. *vel non destruatur*. Tenuiore calamo additum.

pag. 98. lin. 1. *σης παρουσιας*. Non versum.

pag. 98. lin. 5. Verba *estis* (fere ut legi possit *estos*) *audituri* calamo recens apparato interposita. Ante *estis* est rasura cuius vestigia *audituri* lego. Itaque in collocatione verborum librarius erraverat.

pag. 98. lin. 6. *πολεμων*. Ita.

pag. 98. lin. 9. *εσοντα*. Ita.

pag. 98. lin. 10. *terre motus*. Ita.

pag. 98. lin. 12. *παραδωσουσιν*. Ita.

pag. 99. lin. 10. *καταβλεπετω*. Ita.

pag. 99. lin. 12. Super *οπισω ut* recentiore manu et atramento additum. Idem valet de vocibus *vel tollat*.

pag. 99. lin. 13. *φυλαζουσαις.* Ita.

pag. 100. lin. 8. Post *si* rasura. Quid antea ibi fuerit non coniicio.

pag. 100. lin. 13. *οποι.* Ita.

pag. 101. lin. 11. *απαλλος.* Ita. In fine paginae spatium vacuum. Ob initium novae narrationis.

pag. 102. lin. 6. *ante.* A manu recentiore in rasura adiectum. Quid prius h. l. fuerit, non divinor.

pag. 102. lin. 7. *et nuptum tradentes usque.* Haec ab alia manu adiecta.

pag. 102. lin. 9. Post *ου* unius literae rasura; *ο* ibi fuisse coniicio, ad quem articulum manus librarii ob sequens *ο κατακλυσμος* aberraverat.

pag. 102. lin. 16. *scitote* ut et *γινωσκετε* alia manu alioque atramento serius adiecta.

pag. 102. lin. extr. *vigilia vel hora vel custodia.* Serius haec addita. Manus et atramentum prodit.

pag. 103. lin. 1. Post *perfodi* alia manu alioque atramento additum est *perfodiri.*

pag. 103. lin. 3. *putas.* Inter rasuras alia manu scriptum.

pag. 103. lin. 5. Ante *ut det* additum est *infinit.* Quae tamen vox tam minutis tamque difficulter discernendis literis picta est, ut acrior tantum oculus lineas dignoscat. Vid. p. 83. lin. 9. notata.

pag. 103. lin. 6. Super *o* ante *δουλος* *i* scriptum. Librarius ad sequens *ille* se aberrasse cito intelligens, vocem non finivit. Tamen *i* delere oblitus est. — Eadem linea post *venerit* additum *vel veniens*, alio atramento.

pag. 103. lin. 8. *bona vel subsistentia sua*, alia manu et alio colore.

pag. 103. lin. 11. *πιμη.* Ita.

pag. 103. lin. 12. *ebraeis* pro *ebriis.* — Eadem linea *vel κυριος* a seriore manu additum.

pag. 103. lin. 16. In margine post *sol*, color rubicundus fere evanuit, ita ut numerus non cognoscatur. Ex universa canonum ratione scitur, decimum esse.

pag. 103. lin. extr. *τοτε* post titulum eodem calamo scriptum est, quo titulus ipse. Quare intelligitur, titulum hic non post reliquum contextum scriptum esse, ut aliis locis observamus factum esse, sed simul cum illo.

pag. 104. lin. 4. *απιστε.* Ita.

pag. 104. lin. 8. *pausaverunt.* Alio atramento.

pag. 104. lin. 9. *exite.* Alio atramento.

pag. 105. lin. 4. Quod post *nescio* scriptum est vocabulum, non possum hoc temporis articulo legere. Estne *percipio*, omisso non, quod ex *nescio*, ut saepius alias, librarius repetivit?

pag. 105. lin. 13. *ειγρασατο.* Ita.

pag. 106. lin. 3. In huius lineae rasura literarum *εκερδ* vestigia conspiciuntur. Librarius ad vocem quintae lineae *εκερδησα* aberravit. Namque praecedens *πεντε ταλαντα* eum fefellerat.

pag. 106. lin. 9. Spatium huius lineae vacuum docet variationem lectionis librario haud ignotam fuisse. In antiquissimis enim codicibus ut in nostro *λαβων* deest. Prope, in margine, aliquot vel literae vel calami ductus deleti sunt. Nisi coniectura me fallit *deest* adiectum fuerat.

pag. 107. lin. 9. Post *εχοντι* spatium rasura literis vacuum. Ex habitu totius loci et vestigiis literarum coniicio, librarium in sequentem lineam aberrasse, et *παντι δοθησεται* scripsisse. Ex ultima syllaba *ται*, cuius litera extrema nondum scripta fuisse videtur, factum est *τα*, quod hic legis.

pag. 108. lin. 3. 11. 15. In verbis post *vel* scriptis atramentum variat.

pag. 108. lin. 11. *ησθενησαι.* Ita.

pag. 109. lin. 9. Super *και* notulam vides, quae neque *η*, neque *ει* accurate respondet. Librarius enim adsequens *non* aberraverat, quod in *ει* vertit.

pag. 109. lin. 13 ss. Adverte vocis *aut* compendia varia. Extremum versus 41. *η* per *vel* versum est. Noli praecedentibus *aut* turbari.

pag. 110. lin. 9. Super *συνε* spongia deletum, quod tamen legi potest, *consilium.*

pag. 110. lin. 12. Inter *forte* et *fieret* quae leguntur minoribus ductibus et pallido atramento addita sunt.

pag. 111. lin. 1. *εις τι.* A prima manu tantum *ut quid*; reliqua atramento recentiore.

pag. 111. lin. 10. Quod post *hoc* vides punctum non errore scribae nostri, sed ad exemplum codicis additum est. Etiam infra aliquoties, inprimis post formas pronominis demonstrativi, in genere post verba monosyllaba, idem observatur. Quod dico, ne casu orta esse opineris.

pag. 111. lin. ult. Ab hac inde linea duplicia puncta saepius redeunt.

pag. 112. lin. 6. *μετων.* Ita pro *μετα των.*

pag. 112. lin. 13. Inter *αποκ* et *ριθεις* rasura. Literae *ρ* vestigia adhuc cognoscuntur.

pag. 114. lin. 13. *γεσσημανει.* Ita.

pag. 115. lin. 14. Linea transversa deletum *το ποτηριον* in uno solo codice Urbino-Vaticano 157. hunc locum habet. Quum autem deletum sit, ita existimo. In libro quo librarius tanquam exemplo utebatur, *το ποτηριον* deerat. Itaque vero ordine non collocavit. Quum tamen in aliis codicibus reperiret, hoc loco adiecit, sed serius delevit, quum animadvertisset, non casu hoc sed auctoritate optimorum librorum abesse.

pag. 116. lin. 3. Quod iam aliquoties observari potuit, adiecto *vel* tamen non sequi aliam versionem, h. l. iteratur. Aut enim oblitus est librarius loci, aut versionem aptam nescivit.

pag. 116. lin. 14. Verba: *amice ad quod venisti* alia manu et alio atramento adscripta.

pag. 116. lin. 15. *κρατησαν.* Ita.

pag. 117. lin. 2. *μαχαιρα.* Ita.

pag. 117. lin. 5. *παραστης εμοι.* Ita. Eadem lin. *λεγεωνων αγγελους.* Ita accurate solus Cyprius.

pag. 118. lin. 7. *τιουτοι.* Non versum. Punctum ad

marginem huius lineae in codice nostro rubro colore pictum est. Nisi adiectum est, ut significetur, hic aliquid deesse, significatum non extrico.

pag. 118. lin. 16. *vel egemus.* Serius.

pag. 118. lin. penult. Punctula sub δοκει casu nata videntur. In pagina enim seq. linea ultima *dicentis* liquidissimo atramento serius additum est, et quum liber clauderetur, antequam atramentum siccatum esset, haec punctula nostrae paginae impressae sunt.

pag. 119. lin. 1. marg. Lege: *unde in apostolo colophizat.* Dicit autem Novi Testamenti epistolas *apostolum.* *) Ceterum revera verbum Atticis ignotum. Vide *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 175.

pag. 119. lin. 2. οιδε ερaπισαν. Ita, sine versione.

pag. 119. lin. 7. ουτε επισταμαι. Non versum.

pag. 119. lin. 8. ειδεν. Accurate ita.

pag. 119. lin. 9. Post εκει rasura. Nescio quid ibi fuerit. Fortasse codicis Urbino-Vatic. εκεινη; vel aliorum εκειδε primum legebatur.

pag. 119. lin. 17. *dicentis.* Pallido atramento. Caeterum vide quae ad pag. 118. lin. penult. ad vocem δοκει adnotavimus.

pag. 120. lin. 7. τοις αρχιερεος. Ita.

pag. 120. lin. 14. Post ξενοις spatium vacuum. Est hic locus maxime idoneus, qui ostendat, singulis verbis Graecis Latina esse statim superscripta.

pag. 121. lin. 17. βαραββαν. Ita.

pag. 121. lin. ult. εποιησην. Ita.

pag. 122. lin. 3. του τουτου. Ita.

pag. 122. lin. 11. Cf. ad p. 120, 14.

pag. 123. lin. 1. marg. Hic adiectum est *angarizaverunt.* Vix dubito, ab eadem manu hoc verbum scriptum esse, quae carmen *Hilarii* addidit.

pag. 123. lin. 3. Inter εστιν et λεγομενος rasura.

pag. 123. lin. 5. ους ηθελεν. Ita.

pag. 123. lin. 10. επεθησαν. Ita.

pag. 123. lin. 13. ·σταυρουνται. *crucifixerunt.* Ita.

pag. 123. lin. penult. *Ουα.* Ita.

pag. 124. lin. 8. εκ της. Non versum. Deinde post *hora* εξης additum.

pag. 124. lin. 11. Quae in margine vides compendia, ambo ab eadem manu addita videntur, quae carmen Hilarii consignavit. Ea quae super λιμα σαβαχθανει leguntur, pallido colore scripta sunt serius.

pag. 124. lin. 12. ετων. *dicebant.* Ita. Sed magno utrumque errore. — Lithographi errore tres lineae infra additae. Deleas quaeso.

pag. 124. lin. 14. *accepetis.* Ita.

pag. 124. lin. penult. Inter *emisit* et *spiritum* ampla rasura. Literarum deletarum vestigia non distinguo.

pag. 125. lin. 3. κεκοιμενων. Ita.

*) Cf. quae de hac re accuratius exposita sunt in prolegg. cap. de notis marginalibus manuscripti Sangallensis.

pag. 125. lin. 15. Lege: *discipulavit.*

pag. 126. lin. 10. Lege: *populo laico vel plebi.*

pag. 126. lin. 11. Super η εσχατη πλανη, ubi nunc est: *novissimus error est*, rasura.

pag. 126. lin. 13. Ante *euntes* rasura.

pag. 126. lin. 14. μετα της κουστωδιας. Non versum.

pag. 126. lin. ult. Ante *de* rasura.

pag. 127. lin. 11. *ecce.* Quid postea legatur, non coniicio, nisi *vide* est.

pag. 127. lin. 15. απηντησεν. Ita. Quae in proxime praecedente linea et in hac leguntur: *sicut abibant nuntiare discipulis eius*, recentiore tam manu quam atramento scripta.

pag. 127. lin. ult. *nolite vel* et *timere vel* serius addita.

pag. 128. lin. 4. απαντα. *quae omnia.* Ita versum.

pag. 128. lin. 5. *ti.* Ita supra τις. Tamen praecedente linea plena vox *congregati* iam legitur.

pag. 128. lin. 13. *ubi constituerat vel praeceperat.* Serius atramento pallidiore addita.

pag. 130. vacua relicta est. Aut igitur in evangeliis describendis pergere nolebat librarius, aut pensum suum absolverat, aliis reliqua evangelia exarantibus, aut Matthaeus librum singularem erat repraesentaturus, quocirca extrema pagina non scribebatur, ne literae repetito usu in illa pagina conficerentur. Quid horum sit verius in prolegomenis aperire studuimus. Caeterum h. l. addere libet, septimum quaternionem duobus foliis reliquos superare, et in pag. 130 exstare formam quadratam lineis circumscriptam, quae ostendit, etiam hanc paginam scripturae praeparare initio librarium voluisse.

EVANGELIUM MARCI.

pag. 131. col. 1. lin. 4. Latina capituli tertii versio serius pallido atramento adiecta. — Ead. lin. ποικιλων mire versum *debilibus.*

pag. 131. col. 1. lin. 9. *aridam habente manum* serius pallido atramento scripta.

pag. 131. col. 1. lin. 12. επιτωησεως. Ita.

pag. 131. col. 1. lin 16. *amorrovda.* Ita; sed pallido atramento ut serius additum esse appareat. — Ead. lin. αμορροουσης. Ita.

In margine linearum nonae et sextae decimae nonnullae literae antiquitate scripturae fere evanuerunt, et vix dignoscuntur. Punctulis igitur hoc significavimus, quia alia ratio non patebat.

pag. 131. col. 2. lin. 2. 3. Adverte perversam literarum numeralium dispositionem. Inde factum esse videtur, ut περιπατου *deambulante* verteretur, quum ad praecedentia trahendum fuisset. Tamen haesito, utrum *de* et *ambulante* dirimam an in unum vocabulum contraham. Prius p. 157. lin. 1. commendatur.

pag. 131. col. 2. lin. 3. παραβασεως. Mire *fundamento* translatum. Hic primus accentus occurrit, sed perperam collocatus.

pag. 131. col. 2. lin. 4. *mandati* in rasura scriptum.

pag. 131. col. 2. lin. 6. *de muto* pallido atramento addita.

pag. 131. col. 2. lin. 11. *de in caesaria interrogatione*. Item.

pag. 131. col. 2. lin. 17. *de cogitantibus quis maior* μειζων. Item.

pag. 132. Omnia quae in hac pagina Latine superscripta sunt, exceptis vocibus *de filiis Zebedei*, serius pallido atramento adiecta. Idem valet de syllabis αυτο lin. 3. inter *interrogante* et *eum*. Librarius επερωτης, non επερωτος, festinanti oculo legisse videtur. — Praeterea quinque primae literae numerales capitula significantes, in altis rasuris scriptae. Hoc factum esse videtur, quod in praecedente pagina, ut iam monuimus, numeri erant confusi.

pag. 132. col. 1. lin. 5. ζεβαιδιου. Ita.

pag. 132. col. 1. lin. 6. Scribendum erat: περι βαρτιμαιου. Vid. p. 173. Sed in codice ex quo librarius indicem hauriebat literae vel antiquitate vel alia causa evanuisse videntur, unde lacunam post βαρτι conspicis. Caeterum saepius in nostro codice confunduntur his ductibus affines literae. Cf. 135, 17. 174, 9. 12. 176, 16. Quae omnia loca in Marcum cadunt.

Miror, quod ab hac inde linea versio capitulorum interlinearis deest. Ipse non intellexisse videtur librarius quid Graeca sibi velint. Quare duo tantummodo suspicari de hoc indice possumus, aut in codice archetypo Latinam versionem plane non fuisse scriptam, aut antiquitate vel usu ita attritam fuisse, ut legi non posset. Prius verum existimo. Namque cum maxime in indicibus nostri codicis lacunae versionis et errores inveniuntur. Unde coniicio, serius demum indicum consuetudinem ex Graecis exemplaribus in Latina διγλωττα transiisse, et deinde etiam in μονογλωττα migrasse. Quare de versionibus titulorum librarii saepissime haerebant, praesulem desiderantes.

pag. 132. col. 1. lin. 10. Hic primam lineam του Νυ vicariam reperio. Idem usus p. 134. lin. 6 et 11. redit. Cf. p. 262, 1.

pag. 132. col. 1. lin. ult. επερωτησεως. Ita. Adverte etiam accentum falso collocatum.

pag. 132. col. 2. lin. 3. Haereo, utrum lineolam super ημερας spiritus asperi vicariam existimem, necne. Adhuc enim unum levissimum spiritus vestigium in codice nostro reperiebatur. Mox aliter.

pag. 132. col. 2. lin. ult. *corpore* in margine collocatum serius pallido atramento additum est.

pag. 133. lin. 1. Sine dubio haec linea inscriptionem continens serius adiecta est, quum iam contextus infra positus plene esset exaratus. Namque tam alto in loco paginae conspicitur, ut ampliore spatio non patente inserta esse videatur. Et atramento haud parum peiori quam reliqua haec pagina scripta est. Caeterum ab eodem librario exaratam esse existimo, qui et priorem partem textus absolvit.

pag. 133. lin. 2. Punctula, quibus Alpha initiale superbit, rubro colore ita picta sunt, ut atramenti punctula subiaceant, quod nostra imagine exprimere non potuimus; commata vero, quae interiori margini adiecta vides, atramento facta. Ceterum per totum Matthaeum simile non exstat. Neque in Marco nisi aliquoties tantummodo in initio redit. Vid. p. 135. 136. 139. his.

pag. 133. lin. 5. εσομασατε. Ita.

pag. 133. lin. 7. Adverte spiritum, qui per plures paginas aeque ut accentus saepius redit. Sed hoc in universum monuisse satis existimo. Praecipue in ομαλισμω signa accentuum ponere noster solet.

pag. 133. lin. 10. Attende ad novam formam vocis *et* quae deinceps saepissime recurrit.

pag. 133. lin. 15. Super εσθων legis *locustas*. Sine dubio librarius εσθωνακριδας pro uno nomine cepit, εσθων ipsum, fortasse ob formam Alexandrinam, non intelligens. In hoc errore etiam causam lacunae detexisse mihi videor, quae seq. versu relicta est. *Vescebatur* enim desiderabat scriba, neque tamen verbum Graecum aptum in eo codice reperiebat, ex quo nostrum delibabat. Itaque inquirendum in hunc locum esse existimavit altius, ideoque apertum reliquit. Ita ad historiam librariam illustrandam locus aliquid conferre videtur.

pag. 133. lin. 16. Lacuna huius versus sine vestigio vel rasurae vel spongii. Vide quae modo ad lin. 15. monuimus.

pag. 133. lin. 17. ειμικετος. Ita. Cf. censuram meam Novae collectionis vett. scriptt. ab *Angelo Maio* editae in ephemeridib. litt. Jenen. l. supra cit.

pag. 133. lin. 18. Ante *ego* parva rasura.

pag. 134. Ne, quaeso, negligas novum hoc, quod κατα μαρκον usque ad paginam 142 nulli paginae inscriptum est. Deinde usque ad pag. 146. modo in fronte paginarum, modo ad latera titulorum, qui in fronte sunt, conspiciuntur. A pag. demum 146 vulgari ordine inscriptum est, usque ad paginam 174, a qua, ut iam supra monitum est, opus in alius librarii manum transiit, et usque ad finem Marci permansit. Haec variatio facillime explicatur.

pag. 134. lin. 6. Lacunam relictam esse coniicio ob additamentum quod aliqui serioris aetatis codices itemque Italae versionis exemplaria plura exhibent: καιρινον.

pag. 134. lin. 9. *vel ibi*. Serius additum.

pag. 134. lin. 15. *paenitemini*. Ita.

pag. 134. lin. 18. *galilelae*. Ita.

pag. 135. Capitulorum tituli in Marco iam non in ipsis sectionum initiis, sed ut custodes in superioribus foliorum marginibus conspiciuntur. Litera numeralis ut locus quo caput initium sumat facile in oculos incurrat ad marginem lineae apponitur, quae prima novae sectionis verba continet. Aliud novum hoc loco id accedit, quod titulus in Latinum sermonem non est translatus. In sequente pagina versio adscripta est.

pag. 135. lin. 2. αμφιβαλλοντας αμφιβληστρον. Non versa.

pag. 135. lin. 3. *αλεεις*. Ita non semel.

pag. 135. lin. 8. Lacuna ob haesitationem de veritate lectionum vel *ευθεως* vel *ευθυς* relicta. Alterum enim utrum omnes codices praebent, paucis recentibus et quibusdam Italae exemplaribus exceptis.

pag. 135. lin. 10. *απηλθον οπισω αυτου*. Non versa. Lectionis varietas causa videtur. — Ead. lin. *mercennariis*. Ita.

pag. 135. lin. 16. *εα*. Non versum.

pag. 135. lin. 17. *ημων*. Ita. — *συ*. Ita; audiendo *οι* in *υ* corruptum.

pag. 135. lin. ult. *φωμωθητι*. Ita.

pag. 136. lin. 1. *sooru*. Ita. Latina tituli versio pallido atramento adiecta.

pag. 136. lin. 2. Rasura ampla. Variantem lectionem Cantabrigiensis praebet. Tamen quid hoc loco fuerit, plane non coniicio. Solummodo in fine rasurae *ω* cognosco. Latina versio non erat superscripta.

pag. 136. lin. 3. *εξηλθεν*. ξ plane ita pictum.

pag. 136. lin. 4. Inter *προ* et *σε* rasura. Item supra *σε*. Sine dubio librarius quod Graece scripserat non intellexit.

pag. 136. lin. 5. *πεστιν*. Ita.

pag. 136. lin. 8. Inter *galil* et *eae* rasura. Videtur et hic librarius ad *galilelae* aberravisse.

pag. 136. lin. 9. *ωσηλθον*. Non versum. Ob lectionis varietatem.

pag. 136. lin. 10. *οικιαν*. Plane ita pictum. Post enim *o* initio *υ* fuerat, cuius literae pars dextra cultello deleta est.

pag. 136. lin. 11. In voce *simon* sub litera *n* rasura, quae *is* continuisse videtur. Caeterum ipsa vox *simon* serius addita est.

pag. 136. lin. penult. *ποι*. *ubi*. Ita.

pag. 136. lin. ult. *απο*. Non versum. Adverte novum hoc, (quod in multis quidem aliis codicibus occurrit, at in reliquis tribus nostri evangeliis non reperitur) quod titulo in superiore folii ora perscripto alter in inferiore addatur. Quod de atramenti colore ad p. 135, 1. monui, etiam de hac linea et prima sequentis paginae dici potest. Insuper Latina conversio ob pallorem atramenti serius adjuncta esse intelligitur.

pag. 137. lin. 3. *deluculo*. Ita. — *πρωι*. Post h. v. lacuna. Quae a supra scripto *vel mane* derivanda. — *Εννυχον* non vertit. Ob ignorantiam significatuum *valde* loco perverso collocavit; quid de reliquis faceret nescivit. Itaque h. l. conversionem Latinam ante oculos habuit. Post *egressus* vocula *est* desideratur.

pag. 137. lin. 7. *αιωμεν*. Pronuntiatio falsa hoc vitium peperit. Hodieque multi huius regionis incolae *γ* ut vernaculam consonantem *i* pronuntiant. — *κωμο*. Ita. Haesitavit ob varietatem lectionis.

pag. 137. lin. 12. Inter *δυνας* et *αιμαι* rasura. Ni fallor *μαι* deletum est.

pag. 137. lin. 14. *ηψατο αυτου*. Non versum. Iterum ignorantiam suppono.

pag. 137. lin. 16. *εκαθεριοθη*. Ita. — *αυτω*. *ω* prius *o* fuit. Hinc ista forma.

pag. 137. lin. 18. *vage te ipsum ostende*. Ita. *vage* illud audientis errore natum fuerit. Caeterum haec verba serius addita esse atramenti pallor arguit. Etiam comma post *διξον* eodem pallido atramento. Saepissime in nostro codice signa conjunctionis et diremtionis offenduntur; haec ut multas correcturas pallidioris atramenti ex correctorio quodam biblico derivo. — *offer*. Pallido colore.

pag. 137. lin. penult. *α προσεταξεν*. Non versum. Vid. ad lin. 14.

pag. 137. lin. ult. *Ile*. Ita. — *ηρξατο*. Duo extremae literae in rasura.

pag. 138. lin. 1. Titulus non conversus; at pallidiore quam reliqua haec pagina atramento exaratus.

pag. 138. lin. 2. Plane ita ut exprimi curavimus *μηκετι* in codice scriptum est. — *αυτον* non est conversum.

pag. 138. lin. 8. *αι* post *φεροντες*. Accurate ita. Sine dubio librarius, qui modo Latinum *ferentes* scripserat, ad *qui* aberravit in Graecis. Inter *et* et *non*, *quum* deest.

pag. 138. lin. 12. *ab* in *crabattum* in rasura collocatum est.

pag. 138. lin. 13. *αφιονται*. Ita.

pag. 138. lin. 14. Post *τινες* lacuna. Ob supra adiecta *vel quidam* relicta est. — Iure *illic* mirere. Sed ad sequens *εκι* = *εκει* pertinet, super quo *sedentes* collocatum est.

pag. 138. lin. 16. Super *ουτος* rasura vocis *sic*, cuius reliquiae accurate cognoscuntur. — In versione huius lineae duae lectiones copulatae sunt in verbis *loquitur blasphemat* quum codicum vetustissimorum alteri *βλασφημει*, alteri *λαλει βλασφημιας* exhibeant. Sine dubio *βλασφημιας* error calami est.

pag. 138. lin. 17. In *εκιγνους* ε in ι mutatum. Ita codex.

pag. 138. lin. 18. *intra se*. Ad sequentia librarii calamus aberravit.

pag. 139. lin. 6. *κραβαττον*. *κ* ita.

pag. 139. lin. 11. *εδιδασκεν*. *α* ita; namque ex figura sigmatis, quam praepropere librarius posuerat, factum est.

pag. 139. lin. 13. *επι*. Ita.

pag. 140. lin. 3. Quomodo *habentibus* interpretaberis, praecedente *necesse habent? Opus est* in animo habuisse videtur scriba. — *habentes* serius additum. — *αλλο*. Ita.

pag. 140. lin. 5. *et venientes*. Ita.

pag. 140. lin. 7. *σου*. Ita.

pag. 140. lin. 8. *δυνται* pro *δυνανται*. Ita. — *quandiu*. Ita.

pag. 140. lin. 13. Lege: *adsumentum*.

pag. 140. lin. 14. Quid vox sibi velit Latina, quae post *alioquin aufert* legitur, facile possis dubitare, quia magnus in hoc loco error deprehenditur. Quare *articulum* significari hilariter affirmo, nullus dubitans, a librario *τουτω* revera articulum habitum esse.

pag. 141. lin. 2. *αυτον.* Non versum. — *quum.* Omissum.

pag. 141. lin. 3. *σκορπων.* Ita. — *οδον ποιειν.* Non versum.

pag. 141. lin. 8. Lacuna post *ησαν.*

pag. 142. lin. 1. *at autem.* Ita saepius.

pag. 142. lin. 2. *συναυπουμενος.* Ita.

pag. 142. lin. 4. *εξεστιν.* Ita.

pag. 142. lin. 9. *αυτον.* Ita.

pag. 142. lin. 11. Lege: *multa vel magna.*

pag. 142. lin. 13. *naucula.*, Ita.

pag. 142. lin. 17. *προσεπιπτον.* *procedebant.* Miror hanc conversionem.

pag. 142. lin. penult. *σ* super *λεγοντα* in fine positum est, ut ostenderetur, *λεγοντες* in aliis codicibus esse. — *επετιμα.* Ita.

pag. 142. lin. ult. *ιναμη.* *ut ne ne.* Accurate ita ut vides.

pag. 143. lin. 7. *πετρος.* Ita. — Per sex sequentes lineas omnia literis variegatis scripta. Simul novum id animadvertitur, quod apostolorum nominibus lineae flavae vel potius luridae subiectae sunt. Huius rei alterum exemplum per totum nostrum librum non observavimus.

pag. 143. lin. 12. *ιουδδηνσκαριωθ.* Ita. Neque versum.

pag. 143. lin. penult. *προσκαλεσαμενους.* Ita.

pag. 144. lin. 1. *εαν.* *α* plane ita pictum.

pag. 144. lin. 15. Quod in margine vides signum explica *deest.* Vide prolegg. cap. de notis marginalibus. — In codice nostro nullum liturae vestigium. Itaque patet in suo librarium quaedam desiderasse, et apud animum suum constituisse, hanc lacunam implere. Solum Italae versionis exemplum Vercellense cum nostro conspirat.

pag. 145. lin. 5. *vel iuxtà.* Serius additum.

pag. 145. lin. 7. Initio lineae rasura. Quid ibi fuerit non reperio.

pag. 145. lin. 10. *ακουετε.* Ita.

pag. 145. lin. 15. *ανετειλεν.* Ita.

pag. 145. lin. ult. *εις.* *unum.* Ita bis hac lin. Caeterum *τριακοντα* et *εξηκοντα* minio distincta: *εκατον* sequentis paginae nudum est.

pag. 146. lin. 2. *de hoc qui cum eo erant.* Haec recentiore tam manu quam atramento addita sunt.

pag. 146. lin. 5. Post *εξω* lacuna. Relicta est ob adverbium *foris* supra scriptum.

pag. 146. lin. 8. Super *και* macula minii, et *α* ipsum minio pictum.

pag. 146. lin. 15. Inter *χαρας* et *λαμβανουσιν* rasura literae *α.* Ut saepe aa. ll. ita et h. l. a *λ* ad *α* librarius aberrasse videtur. Vid. prolegg. cap. de literarum confusione.

pag. 146. lin. 17. *θλιψεως.* *E* accurate ita.

pag. 147. lin. 1. *μεριμναι.* Ita. — *deceptio.* Ita. Sed in fonte ex quo librarius hausit *acceptio* fuisse videtur, quas voces deinde legendo confudit.

pag. 147. lin. 4. *seminati sunt.* Recenti atramento.

pag. 147. lin. 12. *remittietur.* Ita. — *υμων.* Ita.

pag. 147. lin. 16. *καθευδαν.* Ita.

pag. 147. lin. 19. *ειτεν.* Bis ita. Haec forma in nullo libro manuscripto N. T. adhuc notata. *Phrynichus: εἶτεν καὶ ἔπειτεν ἐσχάτως βάρβαρα. Εἶτα οὖν σὺ καὶ ἔπειτα λέγε.* Cf. *Lobeckii* ad h. l. notam p. 124 qui *Pauwii* correcturam (Pind. Nem. 3, 47.) probat sed, si aliis scriptorum gregalium locis occurrerit, (quod credibile fit *Phrynichi* censura) hodie iam docta eruditorum inscitia sublatum esse existimat.

pag. 148. lin. 1. *de c.* Hoc additum *c.* errore hunc locum usurpavit. *Comminatione* scripturus maturius locum capessivit. — *επι. τω. ησεως.* Ita.

pag. 148. lin. 3. Lacuna ob finem narrationis relicta est.

pag. 148. lin. 4. *τινι αυτην παραβολην.* Ita.

pag. 148. lin. 5. *μακροτερον.* Ita.

pag. 148. lin. 7. Ante *μιζων* rasura.

pag. 148. lin. 9. *κατασκηνως.* Ita.

pag. 148. lin. 15. *λελαμψ.* Ita.

pag. 148. lin. 17. *pupi.* Ita.

pag. 149. lin. 1. Titulus non est in Latinum conversus.

pag. 149. lin. 8. *vinctus.* In rasura scriptum. — *διεσπαρασθει.* Ita. — *υπαντου.* Non versum.

pag. 149. lin. 11. *τονιν.* Ita. Supra scriptum *autem.* Nam legerat librarius pro *τον Ιησουν* (*TONIN.*) *το νυν.*

pag. 149. lin. 13. *τι μοι και συ.* Ita pro *τι εμοι και σοι.*

pag. 149. lin. 14. *τον θεον.* Simpliciter *deum* expressit, non curans significationem formulae Graecae *ορκιζω σε τον θεον.*

pag. 149. lin. ult. Post *χοιρους* rasura. Quid ibi fuerit non coniicio.

pag. 150. lin. 4. *κατα του κρημνου.* Non versum. Nam *praecipitatus est* ad *ωρμησεν* trahendum. — *mare.* Primum *mari* legebatur. A manu valde inconcinna pallido atramento *i* in *e* mutatum est.

pag. 150. lin. 11. *daemoniaco.* Post *d* prius *o* fuit. Inde *ae* factum. Hinc mira forma. — Lacuna ob finitam narrationem.

pag. 150. lin. 14. Nota marginis ostendit, scribae hic deesse aliquid visum esse. Si ex lectionibus variantibus recte colligo, ad *ηρξατο* codicum quorundam hoc referendum est. — Inter *ut* et *cum* rasura. *esset* deletum est.

pag. 150. lin. 18. Super *οσα* lege *quanta.*

pag. 151. lin. 1. *αιμορροουσης.* Ita. Versio deest.

pag. 151. lin. 3. *εσχατως εχει.* Non versum.

pag. 151. lin. 6. *αιματος.* Ita.

pag. 151. lin. 9. Initio lineae rasura.

pag. 151. lin. 16. *λεγει.* Ita.

pag. 151. lin. 18. *ιδογεγιγον. εν* Ita.

pag. 151. lin. ult. Ante et post *salvavit: te.*

pag. 152. lin. 8. Spiritus asper, quem ante eiulantes conspicis sine dubio ad *αλαλαζοντας* ex sententia scribae pertinet.

pag. 152. lin. 16. *δωδεσα*. Ita. — *obstipuerunt*. Ita.

pag. 152. lin. 19. *ακολουθωσιν*. Ita.

pag. 153. lin. 4. Alpha in voce *δυναμις* fere totum evanuit.

pag. 153. lin. 5. *ο τεκτων* versum est *fabri*. Est hic locus documentum, ad Italam ita dictam nostrum respexisse. Vulgata *faber* praebet.

pag. 153. lin. 11. Desunt: *και εθαυμαζε δια την απιστιαν αυτων*. Quae vero in sequente linea reperitur lacuna, defectum non significat.

pag. 153. lin. 17. *υμων*. Non versum.

pag. 154. lin. 2. Post *και* rasura.

pag. 154. lin. 8. *quia* ante *quem* recentius additum.

pag. 154. lin. 16. Post *τον* rasura.

pag. 154. lin. 18. *oportuno*. Ita.

pag. 154. lin. 19. Inter *feci* et *ι* rasura.

pag. 155. lin. 1. *και ρεσεν*. *H* recitando periit.

pag. 155. lin. 3. Post *αυτη* rasura.

pag. 155. lin. 8. *γεναμενος*. Ita.

pag. 155. lin. 9. *simul* h. l. positum est, quia rasura collocationem in loco altiore, ita ut linea recta procederet, non admittebat. Quum autem Graece non exstet, librarium *ανα* et *αμα* confudisse coniicio, praesertim quum lin. 1. *συνανακειμενοι simul recumbentes* nominentur, quamvis ibi simul Graeco *συν* exprimitur.

pag. 155. lin. 10. *αθετησαιαυτην*. *contristari eam*. Ita.

pag. 155. lin. 12. *egrediens*. Accurate ita. In medio rasura.

pag. 155. lin. 13. *κορασιω*. *O* ita praeter ordinem scriptum, quia in loco, quo ponendum erat, rasura est.

pag. 155. lin. antep. *εποιησεν*. Ita.

pag. 156. lin. 1. *de quinque panibus*. Haec verba pallido flavescente atramento scripta.

pag. 156. lin. 2. *ευκαιρου*. Ita. Neque conversum.

pag. 156. lin. 5. *αυτοις*. *eos*. Ita, omisso *ad*.

pag. 156. lin. 9. *ηδη*. Mire *etiam* pro *iam*.

pag. 156. lin. 10. *πολλη*. *praeteriit*. Ita.

pag. 156. lin. 11. *κυκλω*. Latine non reddidit.

pag. 156. lin. 13. Quae super *αυτοις* scripta sunt: *panes τους αρτους eis* — omnia serius pallido atramento addita.

pag. 156. lin. 15. *γεγουσιν*. Ita pro *λεγουσιν*.

pag. 156. lin. 16 *συμποσια συμποσια*. Non versum.

pag. 156. lin. 17. *τιρασιαι*. Ita. Sed *π* supra scriptum; quod in multis aliis locis, in quibus *π* et *τι* confunduntur, non factum est.

pag. 156. lin. ult. *ιχθας*. Ita.

pag. 157. lin. 1. *περιπατου*. *ambulante*. Ita. Verba: *de in mari ambulante* flavo atramento scripta sunt.

pag. 157. lin. 6. *βησαιδα*. Ita. In versione super *s* — *z* scriptum. — *donec* ita pictum ut fere *donet* legi possit.

pag. 157. lin. 8. Post *mari* rasura. — *εμμεσω*. Ita. Isti scribendi errores ostendunt, quomodo *N* ante *M* lectum sit antiquitus.

pag. 157. lin. 12. Ante *super* rasura.

pag. 157. lin. 13. *exclamaverunt*. Duae primae literae huius verbi accurate ut pingi curavimus in codice exstant.

pag. 157. lin. 17. *plus magis*. Ita.

pag. 157. lin. 18. *illeorum*. Ita. Ita *eorum* in *illorum* mutavit.

pag. 158. lin. 1. *παραβασεως*. Initio cum *παραδοσεως* scriba confudit. Quod versio ostendit. Eiusmodi confusiones maxime docent, quam parum Graece doctus librarius fuerit. — *του θεου*. *dei*. Haec verba serius pallido atramento addita.

pag. 158. lin. 4. *καν*. *aut*. Ita.

pag. 158. lin. 5. *tangebant*. Prius *a* ita. — *eum*. Prius *et* fuisse videtur, quod tamen eodem atramento in *eum* mutatum.

pag. 158. lin. 6. *III*. In margine haec pallido atramento scripta.

pag. 158. lin. 7. *γραμμαται*. Ita.

pag. 158. lin. 8. Lacuna ostendit, librarium hic aliquid desiderasse. Et revera haud pauci codices Graeci adeoque Vercellensis Latinus *vituperaverunt* praeeunt, hic quidem dimidia huius verbi parte deleta.

pag. 158. lin. 9. *ιψονται*. Ita. Nam *Π* et *N* facile confundebantur. Itaque existimo, in libro ex quo noster fluxit, fuisse *NIΠΨONTAI*, sed librarium *Π* errore calami dupliciter positum aestimasse, et semel tantum expressisse.

pag. 158. lin. 11. Spatium vacuum ob supra scriptum *redeuntes* relictum.

pag. 158. lin. 13. Verba *et lectorum deinde επειτα* serius diverso atramento et a diverso librario addita sunt.

pag. 158. lin. penult. *εν.ταλματα*. Ita. *in* super *εν* serius additum. Quae in margine quatuor extremarum linearum picta conspicis, serius pallido atramento adiecta.

pag. 159. lin. 6. De hac lacuna vid. prolegom.

pag. 159. lin. 12. *ει τις εχει ωτα ακουειν ακουετω*. Haec verba ut et supra scripta Latina serius malo colore addita.

pag. 159. lin. 15. *ου πωνοειται*. Non vertit. Tamen versum est hoc verbum p. 65, 18. 68, 11 et 14. 99, 9. 162, 17. 180, 17. ser. Non dici potest, vel serius in his locis versionem additam esse, excepta p. 180, vel iam quum illi loci scriberentur versionem scribae innotuisse, quam hic quidem ignorarit. Itaque ita explico, ut statuam, in omnibus locis in quibus versum est, ab *οισθαι* librarium derivasse, sed decipi hic se passum esse, quippe qui *ουπωνοειται* unam vocem esse putarit. Si tamen quaeras: quid est, quod, quem tu alium esse statuis Marci librarium, in eundem errorem inciderit, qui in Matthaeo non semel occurrit, respondeo, in atrociorem adeo Marci librarium incidisse p. 180, 17. Quem locum vide. Facilius hoc acciderit, necesse est, si ponamus; quod quidem nobis verisimile visum est, eiusdem prae-

ceptoris non praeclare Graece callentis nostri libri scribas discipulos fuisse.

pag. 159. lin. penult. διαλογισμοι. Vox, ut alias tantum tituli, variegata.

pag. 159. lin. ult. Versio Latina excepto vocabulo *procedunt* in rasuris scripta. — Quinque extremae huius lineae voces coloribus ornatae ut alias inscriptiones et literae initiales.

pag. 160. lin. 1. *de syrophoenissa muliere.* Flavo atramento.

pag. 160. lin. 6. ευθυς. Υ alterum ita pictum.

pag. 160. lin. 13. κοιναρια. Ita.

pag. 160. lin. 19. *galilaeae.* Ita.

pag. 160. lin. 21. *muttum.* Ita.

pag. 160. lin. ult. Verba *de muto* serius flavo atramento.

pag. 161. lin. 1. *de VII panibus.* Serius flavo atramento. — In voce επτα loco του π primum Latinum *p* scriptum fuit. Huius literae inferiorem partem librarius cultello delevit, et super reliquiis π posuit.

pag. 161. lin. 4. εφφαθα. Non versum.

pag. 161. lin. 5. *lingae.* Ita.

pag. 161. lin. 7. ενετελετο. Ita.

pag. 161. lin. 9. ποιει ηκειν. Prius *fecit* transtulit, quasi εποιει legeretur; posterius *audire*, ηκουειν comparans loco του ακουειν. Inductus est Latina quam ante oculos habebat, versione. Inde etiam in sequentibus huius lineae verbis ποιει ακουειν dubitatio.

pag. 161. lin. 10. Post αλαλους lacuna.

pag. 161. lin. 13. *sustinent.* Supra rasura. — Ead. lin. praecedit ηδη quod versum est: *ecce iam.*

pag. 161. lin. 14. εχωσι. Ita.

pag. 161. lin. 18. επερημαις. Ita.

pag. 161. lin. 19. *supra.* Ita. Prius *super* fuisse videtur, quod lineola transversa literae *p* significat.

pag. 162. lin. 7. *cum.* Pallido atramento interpositum.

pag. 162. lin. 8. *ingemescens.* Ita.

pag. 162. lin. 13. *vel cavete.* Pallido atramento supra scriptum.

pag. 162. lin. 17. *adhuc.* Non exstat in Graecis.

pag. 162. lin. 18. οφθαμους. Ita.

pag. 162. lin. penult. κλασματων. Variegatum.

pag. 163. lin. 3. *quomodo nondum.* Ita super ουπω.

pag. 163. lin. 4. Post βησσαιδα rasura. Vox ipsa ita scripta.

pag. 163. lin. 5. *adpraehensa.* Ita.

pag. 163. lin. 9. περιπατουντας. Ita.

pag. 163. lin. 11. δηλαυγωσα. Ita.

pag. 163. lin. 13. μηδε εισιςτιν εν τη κωμη. Ita. Sed atramenti color et altitudo literarum serius haec addita esse ostendunt. Inde etiam lacuna in fine explicanda. Nam librarius addendis his verbis spatium nimis amplum reliquerat. Porro Latinae versionis verba: *neque in vicum introieris neque dixeris in vico*, ut atramenti color docet, simul cum Graecis addita.

pag. 163. lin. 18. ομεν. *simul.* Ita. ομου confudit.

pag. 163. lin. ult. αποκριθεις. Ita.

pag. 164. summa. Eo loco, quo inscriptiones paginarum esse solent, ampla rasura. Coniicio titulum ibi falsum scriptum fuisse. Sed vestigia non dignosco. Si vere conieci, sequitur, quia κατα in ipsa litura collocatum est, ut verba κατα Μαρκον serius quam tituli perscribi solita fuerint.

pag. 164. lin. 1. ιννα. Ita. — *natus.* *a* macula infectum.

pag. 164. lin. 9. *vel ans.* Alia manu.

pag. 164. lin. 10. *vel am.* Alia manu. — Ante ος in προςκαλεσαμενος ob vitium chartae parva lacuna.

pag. 164. lin. 13. *perdet.* *e* ita pictum.

pag. 164. lin. 15. *prodest.* Accurate ita pictum. — ζημωθη. Ita.

pag. 164. lin. 18. αμαρτωλη. Ita.

pag. 165. lin. 1. Super $\overline{IT}$ accurate codex habet, quod in nostra imagine pictum est. Legi voluit *Iesu.*

pag. 165. lin. 2. 3. *qui quidam.* Ita.

pag. 165. lin. 4. δυναω. Ita.

pag. 165. lin. 6. μονους. *solus.* Ita.

pag. 165. lin. 8. *qualia.* Posterius *a* accurate ita.

pag. 165. lin. 10. *magister.* Pallidiore atramento.

pag. 165. lin. 14. επισκιαζουσα. Dubitari potest, utrum calami errore an consulto?

pag. 165. lin. 15. φωνη λεγων. Ita.

pag. 165. lin. 17. Lege: *nisi.* — *solum vel tantum.* Accurate ita pictum.

pag. 165. lin. ult. Vox extrema *primo* legatur.

pag. 166. lin. 1. Lineae horizontales του Π et του Τ scisso calamo, ut vides exaratae. Ita etiam literae Ζ linea superior.

pag. 166. lin. 3. Ante αλλα rasura. — υμων vertit *vobis.*

pag. 166. lin. 5. και. Non versum. — ελθοντες. *veniens.* Ita.

pag. 166. lin. 7. *stupefactus est ad turbam.* Ita.

pag. 166. lin. 11. Quia mire καταλαβηρησει in unum verbum coaluerunt, ρησει (σο) versione non instructum est.

pag. 166. lin. 14. Quae in fine huius lineae in ipso codice animadvertuntur maculae, exprimi sine deformatione nostri libri non potuerunt. Sunt autem inde ortae, quod paginae sequentis lin. 13. quaedam verba serius adiecta sunt, et antequam atramentum siccatum esset, liber compositus est. Caeterum hic locus, quod attinet ad historiam externam libri, memorabilis est, ut aliqua alia quae sequuntur. Tam enim accurate istae maculae ad literas recens scriptas quadrant, ut intelligatur, hodie eodem libri nostri singulas paginas situ gaudere, quo eo tempore gaudebant, quo και τη νιατεια additum est.

pag. 166. lin. 15. Post εσομαι rasura, quae ad sequentem lineam pertingit.

pag. 166. lin. 16. Signum post αυτον per totum librum redire non vidi.

pag. 166. lin. 18. Ante *και* rasura. Restant vestigia scripturae deletae, quae *και* superscripto *et* hic fuisse produnt.

pag. 167. lin. 1. Verba *credere omnia*, post *potes* addita, serius quam reliqua scripta sunt, quod atramentum indicat, tamen eadem manu.

pag. 167. lin. 2. *βοηθω*. Ita. Sine dubio errore.

pag. 167. lin. 6. *κραξας* et *σπαραξαν*. Ita.

pag. 167. lin. 7. *mortuus*. *R* ita. — *εκαυτω* Ita.

pag. 167. lin. 9. *αυτου*. Non versum.

pag. 167. lin. 10. Super *οτι* legas *quare*.

pag. 167. lin. 13. *και τη νιστεια*. Vide ad pag. 166. lin. 14.

pag. 168. lin. 2. Post *μιζων* rasura.

pag. 168. lin. 5. *εκαλισαμενος*. Ita.

pag. 168. lin. 6. *παιδιων*. *Ω* vere ita pictum.

pag. 168. lin. 7. Inter *δε* et *χεται* litura.

pag. 168. lin. 10. Super *εκωλυομεν* nunc legitur *prohibuimus*. Quid antea fuerit ex vestigiis rasurae quae supra est non accurate demonstratur. Sed si quid video, *non permisimus* olim scriptum fuerat.'

pag. 168. lin. 17. *unum pusillis his*. Ita, omisso *de*.

pag. 168. lin. 19. *θαλασαν*. Ita.

pag. 169. lin. 9. *τελευτα*. Ita.

pag. 169. lin. 10. *αλα*. Ita.

pag. 169. lin. 13. *iudeae*. Ita.

pag. 169. lin. penult. *κτισεως*. Omnes literae variegatae.

pag. 170. lin. 18. *αιωνιν*. Ita. — *ut ille* serius additum.

pag. 170. lin. ult. Spatium relictum est ad addenda verba *μη αποστερησης*, quae in ipso Vaticano a prima manu et in Cyprio deesse dicuntur.

pag. 171. lin. 6. Ante *λυπουμενος* et post *πολλα* liturae. Posterior litura ad sequentem lineam pertingit.

pag. 171. lin. 15. *salvus*. Accurate ita.

pag. 171. lin. 16. *aput*. Ita.

pag. 171. lin. 18. *σου* — supra scripto *ι*.

pag. 171. lin. ult. *ευγγαελιου*. Ita; sed transfixo *α* quod post *ευ* ponendum fuisset. — *λαβη*. Ita.

pag. 172. lin. 12. *εμπαιξωσιν* — *εμπτυσωσιν*. Ita.

pag. 172. lin. 14. *και. προπορευονται. αυτω*. *et accedunt ad eum*.

pag. 172. lin. 15. Tirones *ο εαν αιτησωμεν* legant.

pag. 172. lin. 18. *καθισομεν*. Ita.

pag. 172. lin. 20. *πινω*. Ita.

pag. 173. lin. 2. *εξ ευωνυμων*. *ad sinistram vobis*. Similiter p. 81, 17. Magnum documentum, quantos profectus librarius in Graeca lingua passus sit.

pag. 173. lin. 3. *ητομασται*. Ita.

pag. 173. lin. 6. *θεων*. Errore.

pag. 173. lin. 7. *κατεξουσιαζιαζουσιν*. Ita errore. — *Q* in *quicunque* ita.

pag. 173. lin. 11. Lacuna. Ob finem narrationis.

pag. 173. lin. 19. *animi aequior esto*. *Sabatierii* antiqua et Vulgata *animaequior esto* legunt omisso, quod in nostro observas, *i* subscripto. Quod a minus accurate intuentibus facile negligebatur.

pag. 174. In margine pro Graeco Latinum B.

pag. 174. lin. 8. A voce inde *λυσατε* alius librarius scripsit. Caeterum haec renovata sunt atramento.

pag. 174. lin. 9. *νων*. Ita.

pag. 174. lin. 10. *τουτο*. Non versum. — *ο κυριος αυτου χριαν εχει*. Item.

pag. 174. lin. 12. *αμφοδου*. Ita.

pag. 174. lin. 15. *dimisserunt*. Ita.

pag. 174. lin. 16. *ιησουν*. Non versum.

pag. 174. lin. 17. *εκαισεν*. Ita.

pag. 174. lin. 19. *αγρων*. *arboribus*. Ita. Vide lectiones variantes.

pag. 174. lin. 23. *vesperescebat*. Ita. — *οψε. δε. η. δηουσης*. Ita.

pag. 174. lin. 24. Lacuna ob finem narrationis.

pag. 174. lin. 25. *de arida ficu*. Serius pallido atramento. — *τη εξηρανθεισης*. Ita pro *της ξηρανθεισης*.

pag. 174. lin. 26. *τη επαυριον εξελθοντων αυτων*. Non versum.

pag. 174. lin. penult. *εχουσα*. Ita.

pag. 174. lin. ult. Super *ειμη* lege: *nisi vel praeter*.

pag. 175. lin. 1. *de non memorando malo*. Pallido atramento ut et Graeca inscriptio.

pag. 175. lin. 3. *εξου*. Ita vulgatissima confusione pro *εκ σου*.

pag. 175. lin. 5. Ante *vendentes* tres lineolae = *Ω*.

pag. 175. lin. 6. *κολλυβαστων*. Ita.

pag. 175. lin. 7. *κατεστρεψεν*. Ita.

pag. 175. lin. 8. In *ιερον* ante *ρ* rasura.

pag. 175. lin. 13. *vespere*. Ita.

pag. 175. lin. 16. Post *συκη* rasura.

pag. 175. lin. 18. *tollere et mittere*. Ita.

pag. 175. lin. 20. *ολα*. Ita.

pag. 175. lin. 21. Super *οσα* alterum *q* accurate ita pictum.

pag. 175. lin. 24. *caelis*. *e* ita pictum. *παραπτωματα facinora*. Ita.

pag. 175. lin. 26. *εν τω ιερω περιπατουντος αυτου*. Vertit: *in templo ambulabat suo*.

pag. 175. lin. 29. *ταυτην ινα ταυτα*. *ut ista ut ista*. Ita.

pag. 175. lin. 31. *ερερωτησαντων*. Ita.

pag. 175. lin. 32. *γραμματων*. *scribis*. Ita. Titulus in fine paginae duabus lineis constans atramento subflavo additus.

pag. 176. Inscriptio *κατα Μαρκον* per 8 paginas desideratur.

pag. 176. lin. 4. *αλλα*. Non versum.

pag. 176. lin. 5. *εφοβουντο*. *timemus*.

pag. 176. lin. 6. Inter *αποκριθεντ* et *ες* rasura.

pag. 176. lin. 8. *de vinea*. Fusco atramento.

pag. 176. lin. 10. *φραιμον*. Ita.

pag. 176. lin. 11. *υποληνιον*. Ita. — *κυριον*. Ita.

pag. 176. lin. 13. *ινα πω.* Ita.
pag. 176. lin. 16. *ητωμασαν*, pro *ητιμησαν.*
pag. 176. lin. 23. *λαbοντες.* Ita.
pag. 176. lin. antep. Inter *αμπελ* et *ινα* rasura.
pag. 177. lin. 1. Titulus pallido atramento. Hoc uno loco *Θ* longiore linea transfigitur.
pag. 177. lin. 2. *εξητουν.* Ita.
pag. 177. lin. 5. *αργευσωσι.* Ita.
pag. 177. lin. 8. *τον οδον.* Ita.
pag. 177. lin. 9. *η μη δωμεν.* Non versum.
pag. 177. lin. 11. Post *cuius* super *τινος* adiecta notula legatur: i. e. articulus.

pag. 177. lin. 14. Titulus iterum pallido atramento. In Latinis maxime literis hoc observatur. Sed non ex hoc uno indicio titulum serius additum esse colligitur. Quod ex lacuna etiam quae mansit, discitur.

pag. 177. lin. 16. *οπισω.* Ita. Non vertit. Opinor, quia versionem nescivit.

pag. 177. lin. 18. *γυναι. κα. κα.* Ita, pro *γυναικα.* — *και μη αφη τεκνον* non versum. — In voce *αδελφος α* literae *δ* simile. Item vers. 17.

pag. 177. lin. 21. *και* in fine huius lineae et tota linea 22, ut et verba *ελαβον αυτην* in margine, quae mediae lineae 23 inserenda sunt, flavo atramento serius addita sunt. Versio plane deest.

pag. 177. lin. 23. *ωςαυτος* (ω suprascriptum). Falso vertit: *sicut ipse.*
pag. 177. lin. 24. *αναστασι.* Tertium *α* accurate ita.
pag. 177. lin. 26. *γραφιας.* Ita.
pag. 177. lin. antep. *ευαγγελου.* Ita.
pag. 177. lin. ult. *μωυσεως.* Prius *ω* ex *ο* confectum.
pag. 178. lin. 1. *εμι.* Ita.
pag. 178. lin. 3. *πολυπα. ανασθα.* Ita pro *πολυ πλανασθε.* — *περι του γραμματαιως.* Tam Graeca quam Latina pallido atramento.
pag. 178. lin. 4. *accesit.* Ita.
pag. 178. lin. 14. *preter.* Ita.
pag. 178. lin. 16. *πλησιον.* *λ* fere *α* simile est.
pag. 178. lin. 17. *περισσοτερον.* Ita. Supra scriptum *maius* pallido atramento.

pag. 178. lin. 20. Linea praecedente *elongas* legitur. Tamen hac linea *es* additum.

pag. 178. lin. 21. Verba *de domini interrogatione* pallido atramento.

pag. 178. lin. 22. Super *ιερω* macula lutea, quae *te* delevit, Quare *ι* supra positum est, inter *ω* et *τ* vocis *επερωτησεως.*
pag. 178. lin. 24. *Δ* in *Δαδ* accurate ita.
pag. 178. lin. penult. Initio rasura.
pag. 179. lin. 2. *ε* posterius in *ελεγεν* ita.
pag. 179. lin. 4. *εν* prius ita.
pag. 179. lin. 5. *O* macula atramenti etiam in codice expletum. — *κατασθιοντας.* Ita. — *προφασι μακραν.* Ita.
pag. 179. lin. 7. *de duobus minutis* pallidissimo atramento scripta. Item Graeca, nisi quod plures literae superinducto atramento renovatae.
pag. 179. lin. 8. Vocis *οχλος ο* posterius in rasura scriptum. — *γαζοφυλακιον.* *φ* ita.
pag. 179. lin. 9. *λεπτα.* *λ* ita. Vid. ad lin. 18 notata.
pag. 179. lin. 13. Lineola ante *abundantia* reliquiae literae *h*, quae ut omnis haec pagina pallidissimo colore exarata est. Quum reliquis paginae literis novus color superinduceretur, haec intacta restitit. A linea 23 demum antiquus color plerisque literis mansit, paucis denuo redintegratis. — *εκ.* *κ* ita.
pag. 179. lin. 14. *misit.* Extrema literae *m* linea cum *i* coaluit. — *de consummatione* pallidissimo colore serius superscripta. In margine (*μb*) pro Graeco Romanum *b*.
pag. 179. lin. 15. *αυτου.* Non versum.
pag. 179. lin. 16. *αυνου.* Ita pro *αυτου.* — *διδασκαλε.* Accurate ita. — *ιερου.* Ita.
pag. 179. lin. 17. *ι* in *οικοδομαι* ita.
pag. 179. lin. 18. Sub *e* in voce *edificationes* punctulum vides. Evanuerunt lineolae *ae* indicantes. Infima tantum pars restitit, quia atramento renovata erat. Omnino duae res in his paginis contulerunt ad adspectum tam turbandum quam deformandum; prima, quod initio in angustissimo spatio et crasso calamo nimia tam linearum quam literarum multitudo perscripta est, altera, quod serius crassiore et rudiore adeo calamo novum atramentum superinductum est.
pag. 179. lin. 20. *επιφωτων.* Ita.
pag. 179. lin. 22. *E* super *fiant* antiquum, i. e. pallidissimum colorem servavit.
pag. 179. lin. ult. Parvum spatium initio lineae relictum videtur, quia charta pergamena, circino perforata scripturam non admittebat.
pag. 180. lin. 1. *αλλο. ν. πετο.* Ita. — Hac et seq. pag. inscriptio deest. — *αντι εθνον.* Ita.
pag. 180. lin. 3. *ταραχαι.* Non versum. Sed, quod ad sequens *αρχη* pertinet, *initium* superscriptum.
pag. 180. lin. 8. *προμεριμνατε.* Ita. — *quid.* Ita. Sed nulli Graeco respondet. — *neque quid meditemini.* Serius addita. — Ab hac inde linea in margine per sex lineas rasura. Unde factum est ut lineae paulo retrorsum incipiant.

pag. 180. lin. 10. *παδωσι.* Ita.

pag. 180. lin. 13. *σωσθαι.* Ita. Sed extremum *I* in *E* lineola mutatum.

pag. 180. lin. 14. *μου. nomen.* Ita.

pag. 180. lin. 15. *dictam a daniel propheta, stantem ubi non debet qui legit intelligat.* Haec omnia ita et serius addita. Inter *qui* et *legit* rasura. *intelligat* ibi, saltem partem huius vocis fuisse, partim video partim coniicio. — Ne porro lin. 16 et 17 negligas, quomodo soni confusione *αναγινωσκων νοειτω* conglutinata et depravata sint.

pag. 180. lin. 19. *vel tollere*. Alia manu. — Post τι lacuna.

pag. 180. lin. 24. Ultimae literae vocis *tribulationis* ita. — απαρχη. Ita. Versio praecedit.

pag. 180. lin. ult. εκολομησεν. Ita.

pag. 181. lin. 1. Post δια rasura. Simul tam supra quam infra puncta. Quod ostendit, librarium literam simpliciter iugulare voluisse, deinde rasuram praetulisse.

pag. 181. lin. 2. ωδε. Neglecto ω, quod ιδου adhaeret, *verum* transtulit. — *tunc si quis vobis*. Alia manus videtur.

pag. 181. lin. 3. *eoce*. Ita.

pag. 181. lin. 8. σεληн. Ita.

pag. 181. lin. 9. ουρανους. Ita.

pag. 181. lin. 10. Post τοτε rasura. Literae ψ vestigia reperiuntur. — Ante *hominis* rasura.

pag. 181. lin. 13. *vel ex*. Serius.

pag. 181. lin. 15. *parabolam*. a in fine ita. — ηδη. Non versum.

pag. 181. lin. 17. γινωσκεται. ε ita.

pag. 181. lin. 21. Versio tituli pallido atramento.

pag. 181. lin. antep. απολημος. Ita.

pag. 182. Paginae huius et sequentis inscriptio deest.

pag. 182. lin. 7. μη ποτε θορυβου οντος του λαου. Ita. Versio haec: *ne forte tumultus fieret in populo*. Deinde rasura. Vestgia literae κ conspiciuntur. Itaque tituli oblitus librarius ad και contextus aberraverat. — περι της αλιψασης τον κυριον μυρω. Adverte mirabilem translationem: *de unguento murrae*.

pag. 182. lin. 8 αυτου non versum; item lin. 9.

pag. 182. lin. 9. του λεπρ. Ita. Nam *K* interrupit librarium adeo, ut finem vocis addere oblivisceretur.

pag. 182. lin. 13. αιγοντες. Ita. — εις τι, *ut quid*. Ita. Fortasse perperam percepit *ad quid*. — α πωλεια. Ita.

pag. 182. lin. 15. δοθηναι. *dare*. Ita.

pag. 182. lin. 20. μυρισαν. Ita.

pag. 182. lin. 22. ολον, *universum*. Accurate ita.

pag. 182. lin. 24. *iscariotes* accurate ita.

pag. 182. lin. 25. *u* super ινα = *ut*.

pag. 182. lin. ult. *oportune*. Ita. — In fine lacuna ob finem narrationis.

pag. 183 lin. 1. Titulus non versus.

pag. 183. lin. 3. απελθοντες. Item. — αφαγης. Ita.

pag. 183. lin. 10. ευρθεν. Ita.

pag. 183. lin. 11. *d*. Ita. Caeterum Latina tituli versio serius pallido atramento addita est; et crassis lineis.

pag. 183. lin. 14. Adverte *ut* postpositum; similiter *nam* postponit noster et *enim* praeponit.

pag. 183. lin. 16. εμβαπτομενος. Ita *b*.

pag. 183. lin. 17. εγραπται. Ita.

pag. 183. lin. 21. λαβων. Ita.

pag. 183. lin. ult. Cf. ad pag. 179. lin. ult. nott. — *scandalizabimini*. Tertium *a* ita.

pag. 184. lin. 8. αυτου. Non versum.

pag. 184. lin. 9. προσεξωμαι. Ita. — Ιακωβον. Ita.

pag. 184. lin. 11. περιαυπος. Ita. — ψψχη. Ita.

pag. 184. lin. penult. *f* ante *hominis* puncto deletum, quod cum litera coaluit.

pag. 185. lin. 2. παραγινεται. Ita.

pag. 185. lin. 3. ξυλω. Ita.

pag. 185. lin. 5. *traditor eum*. Ita. — ο εαν pro ον εαν.

pag. 185. lin. 6. ασφαλως. *cavete*. Ita.

pag. 185. lin. 7. κατεφιλησεν. Prius *E* ex *A* factum.

pag. 185. lin. 9. παρεστηκοτων. Ita.

pag. 185. lin. 16. γυμνου. Ita — *reiecens*. Hoc monstrum transfixis literis *ta* natum. Caeterum *ens* alio atramento.

pag. 185. lin. 24. ηρισκον. Ita.

pag. 185. lin. 25. και αμαρτυριαι. Ita. Caeterum extremae literae tam vocis *testimonium* quam μαρτυριαι fere semideletae.

pag. 185. lin. 27. Vid. ad p. 179. ult. adnott.

pag. 186. lin. 4. ουτω. Non versum.

pag. 186. lin. 6. πουτοι. Ita.

pag. 186. lin. 9. εμι. Ita.

pag. 186. lin. 10. *sedentem*. Accurate ita. — ερχομενον. Ita.

pag. 186. lin. 14. καινες. Ita.

pag. 186. lin. 17. πενψας. Ita.

pag. 187. In inscriptione paginae abbreviatio *MAP* haud sueta non negligenda est. — Omnia novo atramento superinducta, exceptis notis marginalibus.

pag. 187. lin. 1. Super εκ δευτερου lege: *secundo*.

pag. 187. lin. 3. οπ. Ita.

pag. 187. lin. 5. Adverte σ post ολον ex seq. συνεδριον natum. — *scribis*. Posterius *s* accurate ita.

pag. 187. lin. 9. ουδεν. *rursum*. Ita. — απεκρινατο *interrogavit*. — δε non versum.

pag. 187. lin. 10. ιδου. Ita.

pag. 187. lin. 12. *dimitebat*. Ita.

pag. 187. lin. 13. Ante *vinctum* rasura. — *verum* ibi deletum est. Librarius initio solam syllabam δε vocis δεσμιον respexit.

pag. 187. lin. 18. διαφθονον. Accurate ita in codice pictum.

pag. 187. lin. 21. οιδε *at ille*. Ita.

pag. 187. lin. 23. ρ in εκραξαν. Ita.

pag. 188. lin. 5. *exsuerunt*. Ita.

pag. 188. lin. 6. ιματια. Posterius *a* ita. Tota vox tenuiore paulum calamo. — *et* quod praecedit, ita ut vides mutilum.

pag. 188. lin. 7. *angariaverunt*. Ita. Cf. pag. 123. marg. — αγγαρευουσιν. Alterum γ ita, ut fere *s* Scotico assimiletur.

pag. 188. lin. 12. *murratum*. Accurate ita.

pag. 188. lin. 13. διαμεριζονται. Ita.

pag. 188. lin. 14. Post ην δε rasura.

pag. 188. lin. 16. *Iudaerum*. Ita.

pag. 188. lin. 17. η ε πληρωθη. Ita.

pag. 188. lin. 19. ο vertit *ua*. Ex versione, qua utebatur, hoc fluxit.

pag. 188. lin. 21. ακα. Ita.

pag. 188. lin. 24. καταβατο. Ita.

pag. 188. lin. ult. ωρας εξα εκ της. Omnia haec ita.

pag. 189. lin. 2. *eloi*. (prius Latinum) *e* ita. — *Σabachtha*. Ita.

pag. 189. lin. 3. μενκατελιπες. Errore pronuntiationis.

pag. 189. lin. 6. In αφες inter α et φ rasura. Φ vestigia distinguo.

pag. 189. lin. 12. ιωσηφες. Ita.

pag. 189. lin. 13. 14. Extrema harum linearum verba fere evanuerunt.

pag. 189. lin. 15. γεναναμενης. Ita.

pag. 189. lin. 23. εν μνημω. Ita.

pag. 189. lin. 24. *momimenti*. Ita.

pag. 190. lin. 2. In hac et seq. pag. inscriptio κατα Μαρκον deest. — μνημιον. Ita.

pag. 190. lin. 3. Post μνημιου rasura.

pag. 190. lin. 7. *obstipueerunt*. Vere ita.

pag. 190. lin. 14. *eiicerat*. Ita.

pag. 190. lin. 17. Super μετα *post haec*. Deinde alterum *haec* super ταυτα.

pag. 190. lin. antep. ρακολουθησει. Ita.

pag. 190. lin. ult. και εν ταις χερσιν. Super και εν legis: *novis*. Noli mirari unde hoc sit. Sine dubio librarius καιναι intellexit. — οφεις. Accurate ita.

pag. 191. Huius paginae verba usque ad ευαγγελιον κατα Μαρκον novo atramento superinducta. Non ita tituli qui sequuntur, sed tantum aliquae literae vel literarum partes.

EVANGELIUM LUCAE.

pag. 191. col. 1. tit. ε. *facta*. Ita. — ιωαννης. Ita.

pag. 191. col. 1. tit. ι. Initio pro *variis* legebatur *debilibus*. Etiam in atramenti colore *a* et *variis* conveniunt.

pag. 192. col. 1. tit. κσ. *sanguinis*. Posterius *i* ita.

pag. 192. col. 2. tit. μγ. περι του ταλαντισμου. Non versum.

pag. 193. col. 1. tit. νδ. Ante πυργου rasura.

pag. 193. col. 1. tit. νσ. Post π in παραβολη rasura. Literae *e* vestigia subscripto puncto cognoscuntur.

pag. 193. col. 1. lin. 5. Velim doceatur, cur verba εις χωραν in hac linea legantur, quum tamen spatium in lin. 7. post μακραν non deesset, antequam αδικιας scriberetur. Sumendumne est, iam in eo codice ex quo noster hausit, ita exstitisse?

pag. 193. col. 1. tit. ξα. Post περι rasura.

pag. 193. col. 1. tit. ξε. *ζaxchaeo*. Ita.

pag. 193. col. 1. tit. ξζ. *mnas*. Ita. In hoc et praecedente numero lineola superne poni solita deest.

pag. 193. col. 1. tit. *OH*. *de* bis. Caeterum in toto fere hoc indice capitulorum Latina versio serius adiecta est. Non autem operae pretium esse videbatur, ut de singulis separatim monerem.

---

pag. 195. lin. 1. Iuxta notam marginalem *IB*, quae duodecimum quaternionem significat, rasura, non ob aliam causam facta videtur, nisi ob eam, ut aptior locus eligeretur.

pag. 195. In primis lineis (2) *de completis nobis rebus* (3) *qui — ipsi viderunt* (4) *adsecuto* (5) *a summo vel diligenter ex ordine* (6) *theophile cognoscas de quibus eruditus es verbis* (7) *veritatem*: omnia alio atramento adiecta sunt.

pag. 195. lin. 3. πληρο φορημενων. Ita; post πληρο rasura.

pag. 195. lin. 6. κριβως. Ita. — Post *summo vel* additum. Neglexit.

pag. 195. lin. 8. Ante εγενετο rasura. Fuisse videtur *E* minus, quod initio narrationis non aptum videbatur.

pag. 195. lin. 11. *elisabeth*. Modo per *s* modo per ζ scribitur. V. v. 15.

pag. 195. lin. 12. In Latino *beth eth* accurate ita pictum.

pag. 195. lin. 13. *ambulantes vel proficiscentes*. Serius addita esse atramenti color prodit.

pag. 195. lin. 16. Ultimae literae vocis προβεβηκοτες in rasura scriptae.

pag. 195. lin. penult. εν versum, αυτον non versum. Utrumque non bene si adiectum *sacerdotio fungeretur* respiciatur. Sed ipsa haec verba serius adiecta.

pag. 196. lin. 1. *thimiamatiζare* ut vides, recenti calamo additum.

pag. 196. lin. 3. Ante *stans* rasura.

pag. 196. lin. 5. *qualis esset salutatio ista vel haec — vel dixit*. Serius addita.

pag. 196. lin. 6. εισηκουσθη. Ita.

pag. 196. lin. 7. γεννη, σοι. Ita. Soni similitudo vitium peperit.

pag. 196. lin. 9. αγαλλισις. Ita.

pag. 196. lin. 15. *vel potentia*. Serius.

pag. 196. lin. 16. Inter *per* et *fectum* nullum rasurae vestigium.

pag. 197. lin. 2. απεσταλλην. Ita.

pag. 197. lin. 3. Ante και lacuna., vitio pergameni. — εσσιωπων. Ita pro εση σιωπων.

pag. 197. lin. 4. ημερα. Ita.

pag. 197. lin. 10. ορακεν. Ita.

pag. 197. lin. 11. διαμενεν. Ita.

pag. 197. lin. 12. Quas hic vides reliquiae sunt literae *κ*, scalpello deletae.

pag. 197. lin. 13. *haec*. Accurate ita.

pag. 197. lin. 15. εφειδεν. Ita.

pag. 197. lin. 16. δε non versum.

pag. 198. lin. 2. Lacunae causam p. 197. lin. 3. significavimus.

pag. 198. lin. 3. Inter ιδ et ουσα rasura.

pag. 198. lin. 7. Adverte marginis interioris literarum Graecarum et Latinarum mixtionem, ut et hoc quod margo ad Alexandrinam consuetudinem scribendi deflectit.

pag. 198. lin. 15. δευς. Ita. Post rasura.

pag. 199. lin. 5. αρινη. Ita.

pag. 199. lin. 6. *salutavit.* Atriore colore et recens apparata penna.

pag. 199. lin. 7. τον ασπασμον. Non versum.

pag. 199. lin. 9. επληθη. Ita.

pag. 199. lin. 12. ελθεν. Ita.

pag. 199. lin. 15. *velit.* Serius. Item: *perfecta ea quae dicta sunt ei.*

pag. 199. lin. 16. Lacuna. Ob finem narrationis.

pag. 199. lin. antep. *magnificet.* Ita.

pag. 200. lin. 1. μακαναρι sequente litura. Vocem exprimere nescivisse videtur librarius, qui adiectivum μακαριος tantum cognoverit.

pag. 200. lin. 3. Post γωνιας litura.

pag. 200. lin. 4. υπερηφλνους. Ita.

pag. 200. lin. 5. και et. Utrumque bis.

pag. 200. lin. 6. *essurientes.* Ita. — *implebit.* Confusione lit. *b* et *v*.

pag. 200. lin. 9. Post *Abrahae* additum *da*. Vid. ad p. 26, 18. 83, 9.

pag. 200. lin. 10. αιων. Ita.

pag. 200. lin. 11. δε. Non versum.

pag. 200. lin. 15. ογδο η ημερα. Verba ita separata.

pag. 200. lin. 16. εκι. Non versum.

pag. 200. lin. 18 et 21. Nomen Ιωαννης pictum coloribus.

pag. 200. lin. penult. *quem.* Voluisse videtur *quemadmodum.*

pag. 201. lin. 1. *ilico.*

pag. 201. lin. 6. Super και in versione *etenim*. At re vera in codicibus haud paucis γαρ additum est. Itaque non *sui* libri translationem exhibuit. Si quid video Itala ductus est.

pag. 201. lin. 7. et. Ita.

pag. 201. lin. 8. ευλογητος. Variegatum.

pag. 201. lin. 9. λητρωσιν. Ita.

pag. 201. lin. 10. Super *sad pueri*. Quod deinde super παιδος repetitur.

pag. 201. lin. 14. μεταυτων. Ita.

pag. 201. lin. penult. *proibi.* Ita.

pag. 202. lin. 5. *in diem.* Serius.

pag. 202. lin. 8. *fiente.* Serius.

pag. 202. lin. 9. ηγεμονου οντος. Ita.

pag. 202. lin. 11. Initio lineae parva litura.

pag. 202. lin. 12. Inter η et τις parva litura.

pag. 202. lin. 13. αυτον. Non versum.

pag. 202. lin. 14. απογραψεσθαι. Ita.

pag. 202. lin. 15. *praegnante.* Serius.

pag. 202. lin. 17. *pannis involvit.* Serius.

pag. 202. lin. 18. δη post φατνη revera δε cum seq. οτι legendo copulandum.

pag. 202. lin. 19. Super ποιμενων rasura. Quare versio in margine comparet. — *de vigilantibus.* Serius.

pag. 203. lin. 10. *benivolentiae.* Ita ex *bonae volentiae.*

pag. 203. lin. 11. απηλθεν. Ita.

pag. 203. lin. 14. Inter *dominus* et *innotuit* rasura. Vestigia non discerno.

pag. 203. lin. 16. ιδοντες. Ita.

pag. 203. lin. penult. θαυμασαν. Ita.

pag. 203. lin. ult. Post *dictis* rasura.

pag. 204. lin. 4. προς αυτοις. Ita. — Post *impleti sunt* difficile legitur *implerentur.*

pag. 204. lin. 6. αυτον. Non versum.

pag. 204. lin. 9. Post *ierosolimam* lege: *in ierosalem.*

pag. 204. lin. 11. Super θυσιαν post *hostiam* — *vel* additum, synonymo non sequente. Ante θυσιαν literae θ rasura.

pag. 204. lin. 12. ζυγος. Variegatum.

pag. 204. lin. 16. ην. Non versum. — *eo responsum accepto.* Mira syntaxis.

pag. 204. lin. 18. Post alterum και rasura.

pag. 204. lin. 19. Post αυτους rasura.

pag. 205. lin. 1. δεσποτα κατα. Non versa.

pag. 205. lin. 3. η τοιμας. Ita.

pag. 205. lin. 12. ασηρ. Non versum.

pag. 205. lin. 15. τεσσαρων. Ita. — *descedebat.* Ita.

pag. 206. lin. 2. *pascae.* Nusquam ita me legere memini.

pag. 206. lin. 4. κατα. Non versum.

pag. 206. lin. 13. *p* in *responsionibus* accurate ita macula tectum.

pag. 206. lin. 14. εξεπλαγησαν. Non versum.

pag. 206. lin. 16. ουτως. *hic.* Ita.

pag. 206. lin. 18. οτε. Ita.

pag. 207. lin. antep. Initium huius lineae accurate ita.

pag. 207. lin. penult. εκπορευμενοις. Ita.

pag. 208. lin. 2. εν εαυτοις. Non versum.

pag. 208. lin. 4. *da* super αβρααμ. Vid. 200, 9.

pag. 208. lin. 10. *et* ex *q*. fictum.

pag. 208. lin. 12. Super μηδεν lege *non vel nihil.*

pag. 208. lin. 15. *dep.* signif. *deponens.*

pag. 208. lin. 16. λαω. Ita.

pag. 209. lin. 2. *aream purgabit aream.* Ita.

pag. 209. lin. 5. ηρωδης. Ita.

pag. 209. lin. 6. *fratris.* Ita correctura.

pag. 209. lin. 9. Post *baptizaretur* additur, *vel infinitivo.*

pag. 209. lin. 14. ων. Non versum.

pag. 211. lin. 3. Super ερημον primum *deserto* scriptum, deinde supra scripto *v* et lineola transversa *desertum* factum.

pag. 211. lin. 5. *essuriit.* Ita.

pag. 211. lin. 10. *valde* post *excelsum* statim initio cum reliqua versione scriptum. — εδειξεν. δ ita.

pag. 211. lin. 12. αυτην. Ita.

pag. 211. lin. 16. σκισωνου. Ita. — μου sine versione.

pag. 211. lin. 17. Ante *duxit* rasura.

pag. 211. lin. antep. εις. Ita.

pag. 211. lin. ult. Initio lacuna, ut saepius supra. — *mandavit.* Ita.

pag. 212. lin. 4. Post καιρου lacuna. Supra scriptum *passionis* serius additum videtur, alio calamo sed eadem manu.

pag. 212. lin. 8. τεθρεμμενος. Ita.

pag. 212. lin. 14. Inter *sana* et *are* rasura. — Ead. lin. *contribulatos* serius additum. Atramentum prodit. Sed et vestigia atramenti, pag. 213 impressi. Super την καρδιαν seqq. Latina perversa. Omnia ita, ut legis.

pag. 212. lin. 18. Ante *attendentes* *i* et *e* conspicis, *in eum* significare videtur. Non adversum est, quod *in eum* etiam sequitur.

pag. 212. lin. penult. χαριτος. Non versum.

pag. 213. lin. 4. *ait.* *a.* Ita.

pag. 213. lin. 12. *et duplex.* Ita.

pag. 213. lin. 13. αναστατες. Ita.

pag. 213. lin. 15. εφου. Non versum. — εις το. Non versum. — αυτων.. ν ita.

pag. 213. lin. 18. εξεκλησοντο. Ita.

pag. 214. lin. 1. Initio lacuna (ut supra).

pag. 214. lin. 5. αλληλους. Ita.

pag. 214. lin. 6. *virtue.* Ita.

pag. 214. lin. 7. *devulgabatur.* Ita.

pag. 214. lin. antep. αυτα. Ita.

pag. 214. lin. penult. πορευθη. Ita.

pag. 215. lin. 2. ευαγγελισασθαι. Iota prius ita.

pag. 215. lin. 4. κηρυσων. Ita.

pag. 215. lin. 5. *turba.* Ita.

pag. 215. lin. 8. απεπλυκαν. *lavantia.* Ita. — *discenderant.* Ita.

pag. 215. lin. antep. Super ετερω. Accurate ita. — Post ετερω rasura. — Rasura super του.

pag. 215. lin. penult. κ in altero και accurate ita. — *nauculas.* Ita.

pag. 215. lin. ult. Initio lacuna. Ut supra. — *procedit.* Ita.

pag. 216. lin. 3. ελαβον. Non versum.

pag. 216. lin. 4. ιυιους. Ita.

pag. 216. lin. 6. *hominis.* Ita. — ησφ. Ita.

pag. 216. lin. 15. προεταξεν. Ita.

pag. 216. lin. 17. *curarentur.* Ita.

pag. 216. lin. penult. εληλυθοτες. Ita.

pag. 217. lin. 1. Initio lacuna.

pag. 217. lin. 3. εχειν. Ita.

pag. 217. lin. 7. *vel re* ante *dimittuntur.* Recentius.

pag. 217. lin. 13. αφειωνται. Ita.

pag. 217. lin. 15. σου. Ita.

pag. 218. lin. 1. Post τ. lacuna quia charta circinno perforata.

pag. 218. lin. 2. Adverte signum super και.

pag. 218. lin. 3. Super δοχην. Ita. — αυτο. Ita.

pag. 218. lin. 5. εγογυζον. Ita.

pag. 218. lin. 9. υπαισοντες. Ita. — Post αλλοι rasura.

pag. 218. lin. 10. εληλυθαι. Ita.

pag. 218. lin. 12. πινναι. Ita.

pag. 218. lin. 17. νυστευσωσιν. Ita.

pag. 218. lin. antep. *vetus.* τ. ita.

pag. 218. lin. penult. και. Non versum.

pag. 219. lin. 1. οινοις. Ita.

pag. 219. lin. 2. *perditi sint.* Ita.

pag. 219. lin. 3. *novum.* Ita. Initio fuit *vinum.* Super ι pusillum ο scriptum, ita ut fere legatur *neum.*

pag. 219. lin. 6. αυτον. Non versum.

pag. 219. lin. 11. δᾶδ. Utrum colore an atramento δ. impletum, vix distinguitur.

pag. 219. lin. antep. Ne φ in fine vocis φαρισαιοι mireris, tene, initio ο per errorem scriptum fuisse, et deinde iota inscriptum. Inde haec forma nata. Saepius in aliis literis, v. c. in ε in ι ita factum. Quod facilius explicatur.

pag. 219. lin. ult. αυτων. Ita. Initio ο pictum erat.

pag. 220. lin. 1. εστην. Ita.

pag. 220. lin. 3. κακοποιησαι. Ita.

pag. 220. lin. 5. *et extendit.* Ex Itala, quae ita εποιησεν expressit. Signum ⁊ = *et* iam quarta hic vice.

pag. 220. lin. 7. In fine lacuna. — Finitur narratio. Neque tamen punctum adest. — *facer.* Ita accurate.

pag. 220. lin. 13. *simine.* Ita.

pag. 220. lin. 16. *de* — significat, duo apostolorum nomina hic deesse.

pag. 220. lin. 19. του πεδινου. Ita. — In Latina versione *vel* post *campestri.* Mire. In margine huius lineae in indice sectionum rasura.

pag. 220. lin. ult. της παραλιου. Non versum.

pag. 221. lin. 1. Lege: *curari vel sanari.* — *curari vel* serius additum esse patet.

pag. 221. lin. 2. οχλου μονοι. Versum *turbae.*

pag. 221. lin. 3. εθεραπευοντο. α ita.

pag. 221. lin. 3. απτεσθαι αυτου. *tangi ab illo.* Sine dubio medium pro passivo explicuit librarius.

pag. 221. lin. 5. *beatudinibus* — *d.* Ita.

pag. 221. lin. 8. Post *essurientes* (sic) lege *qui esuriunt.*

pag. 221. lin. 8. χορτασθησεσθαι. Ita.

pag. 221. lin. 9. Super οι — *qu.* Ita.

pag. 221. lin. 10. μισησουσιν. Ita.

pag. 221. lin. 11. ονειδισουσιν. Ita.

pag. 221. lin. 15. απεχετε. *habetis.* Ita.

pag. 221. lin. 15. πλουσιοις. Ita.

pag. 221. lin. 16. *consolationes vestrum.* Ita.

pag. 221. lin. 17. *qui* pro *quia.* Ita.

pag. 221. lin. 20. ακουσιν. Ita.

pag. 221. lin. ult. *pro* — bis.

pag. 222. lin. 3. *απο* supra rasura. — Ante *tollente* rasura *του a*.

pag. 222. lin. 8. Post *αγαθοποι* (ita) rasura.

pag. 222. lin. 11. Post *αμαρτωλοι* rasura.

pag. 222. lin. 16. *οικτειρων*. Ita.

pag. 222. lin. 18. *ne condemnate* serius, alio atramento alioque calamo, — et *manu?* — Inter *κατα* et *δικασητε* rasura.

pag. 222. lin. 19. Post *dimitte* rasura.

pag. 222. lin. 20. *πεπιασμενον*. *confersum*. Ita. Haec vox ut et reliqua Latina huius lineae serius alio calamo alioque atramento.

pag. 222. lin. 21. *entem* et *eadem enim*. Alio calamo alioque atramento.

pag. 223. lin. 1. Alterum *qua* huius lineae serius alia manu, pallido atramento.

pag. 223. lin. 6. *δε*. Non versum.

pag. 223. lin. 7. *ιδιω*. Non versum.

pag. 223. lin. 16. *συλλεγουσιν*. Ita.

pag. 223. lin. 17. *vindimiant*. Ita.

pag. 223. lin. ult. *περισσευματος*. Ita.

pag. 224. lin. 4. *εστε*. Ita.

pag. 224. lin. 6. *πλημμηρας*. Ita.

pag. 224. lin. 6. *illaesum* pro *illisum*.

pag. 224. lin. 9. *ομοις*. Ita.

pag. 224. lin. 13. Hac linea bis ad Graecas literas a Latinis prolabitur. Latina versio *caparn*. — Graeca *ε* habent.

pag. 224. lin. 14. *ε* quo alterum *εκατονταρχου* incipit, insolitum.

pag. 224. lin. 15. *εντιμος*. Ita.

pag. 224. lin. 19. In *αξιος* rasura. — *ad* in margine ostendit, in aliis codicc. *αυτω addi*.

pag. 224. lin. 19. *παρεκαλουν*. Non versum.

pag. 224. lin. ult. *ωικοδομησεν*. Hic primum iota subscriptum additum est. Ante hoc vocab. rasura.

pag. 225. lin. 1. *ηδη δε αυτου ου μακραν απεχοντος*. Sine dubio haec consulto non versa.

pag. 225. lin. 2. *επενψεν*. *missit*. Ita.

pag. 225. lin. 3. *ειμι κανος*. Ita. — *dignus*, quod supra scriptum est, nullo modo serius quam reliqua Latina adiectum.

pag. 225. lin. 7. *alio*. Ita. Casu an consilio?

pag. 225. lin. 11. *υποστεψαντες*. Ita.

pag. 225. lin. 12. Ante *infirmum* rasura.

pag. 225. lin. 15. *ικανοι*. Non versum ut et lin. 19.

pag. 225. lin. 17. Post *defunctus* rasura. — *τεθνηκως*. Ita.

pag. 225. lin. 18. *hec*. Ita.

pag. 225. lin. 19. *εσπλαγχνισον* pro *εσπλαγχνισθη*.

pag. 225. lin. ult. Hoc novum, quod Latina versio verbo *εστησαν* subiecta est. — *βασταζοντε*. Ita. Super *ουδε* accurate ita legitur.

pag. 226. lin. 3. *glorifacabant*. Ita.

pag. 226. lin. 6. *περιχωρον*. *circa regionem*. Supra simpliciter *regionem*.

pag. 226. lin. 9. *προσκαλεσαμεν* pro *προσκαλεσαμενος*.

pag. 226. lin. 10. *επεμψον*. Ita.

pag. 226. lin. 12. *pervenienientes*. Ita.

pag. 226. lin. 17. *βλεπειν*. Ita.

pag. 226. lin. antep. *ηα*. Ita et puncto super *α* posito.

pag. 226. lin. ult. Post *καθαριζονται* rasura.

pag. 227. lin. 5. *agitatatam*. Ita.

pag. 227. lin. 7. *υπαρχοντες*. Non versum. Sed supra scriptum *principes*. Quod deinde sequitur *εν τοις βασιλειοις* per *principes* expressum iam videtur. Ni fallor librarius verba *υπαρχοντες εν τοις βασιλειοις* per *principes* expressit, non curans vel potius ignorans, linguae Graecae leges hoc non admittere, quae articulum saltem flagitant. Caeterum in hoc loco a vulgo dicta Itala noster plane recessit. Ead. lin. *diliciis*. Ita.

pag. 227. lin. 9. Post *plus* rasura. Vocis *quam* vestigia conspicio.

pag. 227. lin. 10. *a propheta*. Ita. Ead. lin. super *εγω* — *mitto*, quod seq. lin. repetitur.

pag. 227. lin. 11. Post *προσωπο* rasura.

pag. 227. lin. antep. Post *ουδε* rasura.

pag. 228. lin. 1. *hominis*. Ita.

pag. 228. lin. 2. *αγοραις*. *α* ita pictum.

pag. 228. lin. 2. *καθημενοις και*. Non versum.

pag. 228. lin. 4. Rasura, praecedente *ου*. — *εκλαυσατε* fuisse ex seq. linea, coniicitur.

pag. 228. lin. 8. *patator*. Ita.

pag. 228. lin. 14. *κομισας αλαβαστρον*. Ita, pro *κομισασα αλαβαστρον*.

pag. 228. lin. 16. *τοις δακρυσιν και ταις θριξιν* non versa. Super *δακρυσιν* rasura.

pag. 228. lin. 17. *εξεμασεν*. Ita.

pag. 228. lin. 19. *καλασας* supra scripta *ι*; quum esse deberet *καλεσας*.

pag. 229. lin. 4. *εχαρισατο*. Super *ε* punctum. Mirabere. Sed incipiunt iam sensim fere omnes vocales initiales punctulis ornari. In Ioanne maxime conspicitur.

pag. 229. lin. 6. *υπολαμβανω*. Miror quod hic apex in fine vocabuli redit, cuius diu nullum vestigium deprehendimus.

pag. 229. lin. 7. Idem de *ορθως* valet.

pag. 229. lin. 8. *τω σιμων*. Ita.

pag. 229. lin. 12. *αφεονται*. Punctum super *α*.

pag. 230. lin. 1. *κηρυσων*. Ita.

pag. 230. lin. 4. *magdalenane*. Ita.

pag 230. lin. 4. Post *vocatur* rasura. Litera ibi a fuerat.

pag. 230. lin. 10. *de civitatibus properarent*. Ita monstrose.

pag. 230. lin. 12. *ali*. Ita.

pag. 231. lin. 2. *ταμυστερια*. Ita.

pag. 231. lin. 8. *credentes*. Accurate ita.

pag. 231. lin. 9. *οταν*. Non versum.

pag. 231. lin. 14. *του βιου*. Non versum.

pag. 231. lin. 15. *καλη*. Accurate ita.

pag. 232. lin. 13. *ανηχθησαν.* Non versum. Sed loco ubi versio esse deberet, litura est.

pag. 232. lin. 15. *κατεβη.* *ascendit.* Ita.

